



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies decimus et undecimus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1868**

Vita Auctore Rotghero a, E Codice nostro, olim Vallicellensi, PMS. 159, cum  
Surii et Leibnitii editionibus collato.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71246)

A factam, commemoret, neque tamen usquam, dum id facit, molitionum, quæ in Vita illa S. Brunoni attribuuntur, mentionem instituat, enimvero id hisce locum haud fuisse, argumento esse perquam valido, recte æstimavit Stillingus. Et vero Brunonem, virum mitissimum, de canonicis monachisque seu iis, qui S. Audomari reliquias Neomagum adveverant, in exteris regiones amandandis cogitasse ab omni veritatis specie abhorret.

adduntur, suadent, meretur.

266 Stillingus quidem verbis suis proxime huc transcriptis subjungit: Attamen, si quid veri, in iis nempe, quæ de Brunonis molitionibus in dicta S. Audomari Vita dicuntur, forsitan subsit, potuit Bruno existimare iniqua peti atque improbare, quod sacræ reliquiæ tam longe eum in finem a propria ecclesia amoverentur; quod sane magis mirandum apparet, quam nostro tempore imitandum; verum ego, in iis, quæ ibidem de Sancti molitionibus memorantur, veri quid subesse, viæ quo vel suspicari. Cum enim illarum nec Folquinus, nec scriptores, qui duas priores S. Audomari Vitas

B contexere, meminere, laudatus Vitæ tertiæ scriptor, qui, quemadmodum Stillingus in Commentario, Vitis præmisso, num. 7 docet, e populari traditione, quæ scribit, subinde accepit, verosimiliter e traditione hujusmodi, cui idcirco, quod Brunonem undecumque sacras reliquias summo studio conquisivisse haberet compertum, facilius, quam par esset, fidem adhibuerit, ea etiam, quæ de Sancti molitionibus memorat, dumtaxat hauserit; cum autem sufficere, ut, Brunonem de relegandis, qui sacras reliquias Neomagum attulerant, canonicis ac monachis cogitasse vel suspicemur, popularis traditio haud videatur, laudato, qui, ut apparet, ex hac tantummodo tum illud, tum S. Audomari reliquias auferre meditatam esse Brunonem, memorix prodit nec ante sec. XII aut XIII floruit, Vitæ tertiæ S. Audomari scriptori fidem ea in re adhibere non ausim, maxime cum Sanctum, ut sacras reliquias acquireret, fuisse eo, quo ait, progressurum, minime appareat credibile. Metensibus quidem baculum S. Petri eripuit S. Bruno; verum cum id fecit, Metensem ecclesiam vacuam episcopi loco, ut supra docui, administrabat, nec eum, Metensibus omnino invitit, baculum illum eripuisse, alicunde constat. Erit quidem fortassis, qui contrarium suspicetur ex eo, quod fuerint olim pii etiam viri, qui sacras reliquias, ut hasce venerarentur, furari fas sibi esse existimarint; verum Brunonem, virum sane eruditissimum, in falsa ista opinione fuisse, nullo modo verosimile apparet.

C

## VITA

Auctore Rotghero a,

E Codice nostro, olim Vallicellensi, PMS. 159, cum Surii et Leibnitii editionibus collato.

## PROLOGUS.

Scriptores suæ causam auctor exponit. E

Domino in gratia Christi beatissimo atque in omni splendore sapientiæ perfectissimo Folcmaro archiepiscopo b Rotgerus servorum suorum ultimus veræ claritatis gloriam sempiternam. Imposuit sanctitatis vestræ reverentia super caput meum gravem quidem sarcinam, sed pro captu parvitatæ meæ dulcem et jocundam, videlicet ut Vitam mirabilis et magnifici archiepiscopi Brunonis, qua potuerim, sermonis facultate describerem, cui virtus laudem contulit, quam, ut ipse meruit, styli mei officium implere non potuit. De ipso tamen me quomodocumque loqui, quia vos jussistis, delectabile fuit: qui ab initio sic fuit animatus, ut non magis sua causa se putaret natum, quam nostra rei que publicæ procreatum. Fecit omnino plurima et prope infinita, quæ digna fuerunt sempiterna memoria: sed non exspectet auditor aut a me aut a quolibet hæc omnia explicanda.

Auctor, esse, ut Folcmaro obtemperaret, haud illibenter res, b

2 Quod si quis fideliter et vere agendum promitteret, singulos, quos pueritiam prætergressus vixit, annos propriis et iis utique spaciosis codicibus insigniret. Æstimo igitur, multos longe lateque hæc occupatos industria, ut gesta ejus iis etiam, qui post futuri sunt, partim scribendo, partim commemorando transmittant. Non enim in una provincia, aut in uno negociabatur regno: omnium, quos adire poterat, salutem benivolentiæ atque laboris studii que sui quærebat commercio. Nec desunt plurimi, qui hoc laute et prudenter exequi possint, cum, etsi nulli alii tales valeant repperiri, in solis ejus c admodum omne studiorum et eloquentiæ genus, adhuc recenti ejus memoria, ita per multa terrarum loca floreat, ut maxima rerum gestarum insignia non enarrare modo, verum et exornare sufficiat. Quot quantosque de alumpnis tanti Viri episcopos, quantos in quacumque ecclesiasticæ professionis disciplina probatissimos novimus, qui eum et familiariter noverunt, et perfectius illustribus monumentis vitam ejus declarare potuerunt d.

F a Brunone gestas, quibus scribendis alios etiam vacare putat,

3 Sed qui sum ego, qui votis vestris, dominorum excellentissime, ausus fuerim contrahere?

A. ROTGERO.  
litteris utcum-  
que complexum  
declarat, sty-  
lumque, quod  
fecit, excusari  
stulat.

re? Feci ergo, quod potui, non præsumens de scientia, sed fiduciam qualemcumque retinens in obedientia. In quo, etsi minus possibile michi visum est id explere, quod agressus sum, præcepti tamen vestri dignitatem ita venerari semper et amplecti animum induxi, ut impossibilitatis meæ oblitus, in manibus vestris sim oculis et animo totus. Hinc ergo largifluæ pietati vestræ supplico, ut, quod huic Operi meo deest in pompa ornatuque sermonis, suppleat in auribus vestris ejus commendatio, quem pro merito virtutis tam suaviter amastis. Beatitudinem vestram Deus omnipotens ad salutem nostram diutissime incolumem et bene valentem conservare dignetur.

## ANNOTATA.

a Nihil hic occurrit addendum iis, quæ de scriptore isthoc in Comment. prævio § 1 edocui; verum res, quantum ad ea, quæ in nonnullis hujus textus commentatus sum, secus B habet. Quare si quis hæc scrulari velit, convenit, ut et hic subdenda in illos annotata discutiat.

b Hic, qui, quemadmodum Rotgerus num. 70 in Sancti nostri Vita et in hac apud Surium cap. 27 translationis S. Evergisi (Comment. præv. num. 14 et seq. videsis) auctor anonymus docent, Brunoni viventi conjunctissimus fuerat, defuncto in sedem Coloniensem anno 965 fuit successus; quare, si antistes ille, cujus nomen non uno ab omnibus modo ecaratur, post quatuor dumtaxat in episcopatu transactos annos, ut nonnulli volunt, obierit, consecrarium erit, ut ei a Rotgero inscripta S. Brunonis vita ante annum 970 fuerit contexta. Verum vide Comment. præv. num. xi et seq.

c In Suriana et Leibnitiana editionibus additur: discipulis.

d Brunoni non paucos insignis doctrinæ discipulos et alumnos fuisse, Rotgerus non obscure hic prodit; verum scriptorem nullum, qui vel paucos ex his nominatim recensent, invenire quivi. Nec scio, an ex iisdem illis Sancti Vitam descripserit. Optandum interim foret, non tantum, ut quis id fecisset, ast, ut is etiam omnia et singula Sancti gesta enucleate exposuisset, nec, ut Rotgerus plerumque facit, generatim in Sancti laudes excurreret, ea fere tantummodo, quæ virtutem ac sanctitatem ejus commendare nata sunt, commemorasset.

## CAPUT I.

Nobile Sancti genus, nativitas, educatio Ultrajecti apud Baldericum episcopum, vitæ ibidem et post in aula ratio.

Sapientiæ nimirum est, scire unde sit donum, quod quis accipit, nec a se sibi hoc esse, aut a Deo quidem, sed sibi debitum, putet. Si enim quaerimus, quid nobis debeatur, nichil invenimus, nisi supplicium. Misericordia autem Dei prærogavit nobis gratiam, ut haberet, quibus redderet gratiam pro gratia, et hoc etiam esset debitum, quia Deus voluit, non quia homo meruit. Quid enim habes, ait Apostolus, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis a? Ineffabili igitur providentia bonitatis Dei collatum est electis ejus, et ut gratis copiosis gratiæ muneribus ditentur, et tamen hoc ipsum, quo munerantur, quodammodo per gratiam mereantur: alius sic, alius vero sic, unusquisque secundum quod in eo operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis, prout vult b. Soli unigenito non ad mensuram dat Deus spiritum. In ipso nanque, ut ait Apostolus, habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter c: membri ejus pro sua cuique voluntate partitur: quibus abundanter omnia dat ad fruendum, videlicet seipsum, ut sit Deus omnia in omnibus d.

5 Dispar hæc claritas, et diversa donorum largitas nunc est ammirabilis quæstio, quandoque erit ammirabilis pulchritudo, et ornatus domus Domini, de qua dicitur Deo: Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate e. Compertum est nuper a plurimis in venerabili Coloniensis ecclesie archiepiscopo Brunone pie memoriæ, et satis a prudentioribus intellectum, homo homini quid præstat. Cujus plerique dicta et opera, qui familiarius eum noverant, satis ammirari nequebant. Erant enim in illo uno homine res valde dissimiles, natalium nobilitas, honorum dignitas, scientiæ, quæ inflare solet, tanta f ut nichil supra: animi vero et habitus humilitas quantum a sagacioribus discerni potuit, ut nichil infra putares: media, caritate constrata sunt. Arridebant ei omnia, quæ ad fastum suppetent. Hæc a se semper studiosissime vigilant manu discretionis abegerat: ita aliud ad oculos hominum, aliud ad testem cordium exhibebat. Cujus conversationis exemplo plurimos salubriter institui posse credimus, si eandem strictim a pueritia repetamus. Habent enim in illa mediocres et humiles, unde convalescant, elati contra et divites, unde obstupescant.

6 Attavorum ejus attavi, usque ad hominum memoriam, omnes nobilissimi g: nullus in eorum stirpe ignotus, nullus degener facile reperitur. Hic tamen omnes, salva augustorum et regum

Gratia divina, quæ ad mensuram hominibus datur, diversimode in his operatur.

Alterum alteri præstare S. Bruno, summa quæque cum humilitate conjungens, ostendit.

Hic, regno tandem a patre Henrico rege

A regum excellentia, omnino perspicacissime li-  
niamentorum gratia, artium gloria et omnigena  
animi superabat industria. Natus eo tempore,  
quo pater ejus Henricus, rex gloriosus, perdo-  
mita barbarorum sævitia, represso etiam inte-  
stinæ cladis periculo, diruta magno studio re-  
edificabat, et volentem populum justitiæ frenis  
in tutissima et optatissima demum pace rege-  
bat *h*. Ita nativitatibus ejus tempus jam quasi fu-  
tura bonæ voluntatis ejus insignia præferebat.  
Nam cum omne, quod bonum, vivacissime sem-  
per appeteret, pacis donum, quasi nutrimentum  
et ornamantum quoddam ceterarum virtu-  
tum, sollicitius expetivit, quod bonis omnibus  
profuturum prescivit. Tranquillitatis enim tem-  
pore nutrirī debent et solidari virtutes, ut, per-  
turbatione qualibet ingruente, a status sui vi-  
gore hominem emolli non sinant.

7 Nimis longum est persequi, quomodo me-  
moratus rex, pater hujus magni Viri, de quo  
agimus, ad illam tam gratæ pacis serenitatem  
pervenit, cum ipse omnia regni sui spacia et  
B continuis finitimum incursionibus et gravis-  
simis inter cives, etiam cognatos, dissensionibus  
concussa et atrociter vexata reperit *i*. Hinc  
etenim seva Danorum gens, terra marique po-  
tens, inde centifida Sclavorum rabies barbaro-  
rum frendens inhorruit: Ungrorum nihilomi-  
nus insecuta crudelitas, transgressa terminos  
Marahensium, quos sibi non longe ante impia  
usurpavit licentia *k*, plerasque provincias regni  
ejus ferro et igne longe lateque vastavit *l*. Dies  
ante, quam hujus mali materies, narranti defi-  
ciat. Trans Rhenum Occidentem versus nobis  
omnia rebellabant *m*. Ipse certe regni adhuc  
augusti principes in sua viscera bene irremedia-  
bilitate sevebant. Quæ omnia vel rescare, ut  
narrare *n*, nemo, nisi præcipua virtute et singu-  
lari præditus industria, posset. Sed post aliquan-  
tum temporis tantus timor per gratiam divinam  
invasit extraneos, ut nichil unquam eis esset  
formidabilius: tantus amor colligavit domesti-  
cos, ut nichil unquam in quolibet potentissimo  
regno conjunctius videretur.

8 Eo tempore generosa regum proles, annos  
circiter quatuor habens, liberalibus litterarum  
studiis imbuenda, Baldricos venerabili episco-  
po, qui adhuc superest, Trajectum missa est *o*.  
Ubi cum ipse disciplinabiliter, utputa bonæ in-  
dolis puer, ingenio sagaci proficeret, invisa  
Normannorum tyrannides *p* per hujusmodi ob-  
sidem, aliquantum refriguit, et ecclesiæ de-  
mum cæteraque ædificia, quorum ruinæ vix ex-  
titerant, hac occasione restaurata sunt. Ita nulla  
sue ætatis spacia absque utilitate sancta Dei  
Ecclesiæ transigebat. Per ipsum enim, licet  
adhuc inscium, jam Christianus populus, ab  
hostibus liber, in Dei laudibus exultabat. Dein-  
de, ubi prima Grammaticæ artis rudimenta  
percepit, sicut ab ipso, in Dei omnipotentis glo-  
riam hoc sæpius ruminante, didicimus *q*, Pru-  
dentium poetam, tradente magistro, legere ce-  
pit. Qui sicut est et fide intentioneque catholi-  
cus, et eloquentia veritateque præcipuus, et me-  
trorum librorumque elegantissimus, tanta mox  
duplcedine palato cordis ejus complacuit, ut jam  
non tantum exteriorum verborum scientiam,  
verum intimi medullam sensus, et nectar, ut ita  
dicam, liquidissimum majori, quam dici possit,  
aviditate hauriret.

9 Postea nullum penitus erat studiorum li-  
beralium gentis in omni Græca vel Latina

eloquentia, quod ingenii sui vivacitatem aufu-  
geret. Nec vero, ut solet, aut divitiarum af-  
fluentia, aut turbarum circumstrepentium assi-  
duitas, aut ullum aliunde subrepens fastidium  
ab hoc nobili ocio animum ejus unquam avertit,  
ita ut munditiam cordis ejus attestaretur jugis  
meditatio, et indefessum continuas exercitati-  
onis studium, cum jam penitus omnis hujusmodi  
affectio transiret in habitum, sicut scriptum  
est: Ex studiis suis intelligitur puer, si munda  
et si recta sint opera ejus *r*. Huic accedit *s*,  
quod sicut fervorem animi sui non passus est  
aliorum desidia et levitate extingui, aut super-  
fluis vanisque corrumpi colloquiis, ita libros, in  
quibus studuit, aut quoscumque præ oculis ha-  
buit, incaute refringi, aut corrigi *t*, vel quomo-  
dolibet minus diligenter tractari, omnino æger-  
rime tulit, nichil sane in his, quæ ad se pertine-  
bant, negligendum ducens, quandoquidem, ut  
Salomon ait, qui minora negligit, paulatim  
decidet *u*.

10 Igitur postquam pater ejus, fundato et ad  
unguem pacato imperio, rebus humanis conces-  
sit, Ottho filius ejus major natu, benedictione  
Domini auctus, et oleo lætitiæ unctus, magna  
voluntate et consensu principum regnare cepit  
centesimo octogesimo octavo lustro, sexagesimo  
tertio Indictionem circulo ab Incarnatione Do-  
mini nostri Jesu Christi *x*; vir, in quem spiritus  
Dei donum contulit singulare veritatis et  
fidei. Cujus virtutes si me narraturum promi-  
serim, nimium mihi præsumperim, et ferend-  
as minime fuerim. Excedit enim laus ejus et  
gloria, quicquid vel ipse Cicero sibi promitteret  
in faciundia *y*. Hic germanum suum Brunonem,  
Deo dicatum, adhuc adolescentulum, honora-  
biliter, ut par fuit, e scholis in palatium evo-  
cavit, locum videlicet tam lucidissimo aptum  
speculo, ubi quicquid deforme per totum  
pene mundum esset, in studiis liquidius elu-  
cidaret. Huc enim ex omnibus ejus finibus  
confluebat totum, quod sibi aliquid esse vide-  
batur. Nichilominus ab omnibus, calumpnia  
qualibet oppressis, hoc asyllum unicum peteba-  
tur. Exemplar ibi sapientiæ, pietatis et justitiæ  
supra hominum memoriam eminebat. Inde re-  
versi, qui sibi paulo ante domi videbantur  
doctissimi, rubore notati, rudimenta artium, F  
quasi, Nunc cæpi, dicentes, aggressi sunt.  
Cui in læva parte mamillæ nil salit, sese ab  
hoc quasi celso tribunali exinde verecundus ab-  
stinuit.

11 Vas illud suum implevit Dominus spiritu  
sapientiæ et intellectus. Nec suffecit ei in ga-  
zophylatium cordis sui colligere, quod in prom-  
ptu habebat: peregrina insuper conduxit eni-  
gmata, et quicquid philosophicum terrenisque  
sensibus remotissimum sensit, hoc undecun-  
que contraxit. Obliteratas diu septem liberales  
artes, ipse rexit. Quicquid Historici, Orato-  
res, Poëtæ et Philosophi novum et grande per-  
strepunt, diligentissime cum doctoribus ejus-  
cunque linguæ perscrutatus est, et ubi magi-  
ster excelluit ingenii velocitate, ibi se disci-  
pulum præbuit humilitate. Sæpe inter Græco-  
rum et Latinorum doctissimos de philosophiæ  
sublimitate, aut de cujuslibet in illa florentis  
disciplinæ subtilitate disputantes, doctus inter-  
pres medius ipse consedit, et disputantibus  
ad plausum omnium, quo nichil minus amave-  
rat, satisfacit. Non enim examen improbum  
in illa castigavit trutina, nec quesivit extra  
gloriam

A. Rotundo.  
nec minorum  
progressu, li-  
bros etiam,  
quibus utitur,  
conservare stu-  
dens, incum-  
bit;

patre vita  
sancto, in au-  
lam evocatur,  
ibidem totum  
sese

philosophorum  
aliorumque  
doctorum pla-  
cuis rimandis  
impendit,

A. ROTCHERO.

gloriam, sed sibi sufficere æstimavit testimonium conscientiæ suæ. Spectavit hoc frequentius iudex, in talibus falli nescius, rex orbis terrarum maximus : et qui regnum suum exterius fortitudinis et consilii vigore firmavit, interius illud tali splendore vestivit. Horum spectator et ipse Deus conditor, cujus misericordia donum, quodcumque tribuit, custoditur.

scientiaque  
hauri inflatus  
miseris interea  
patrocinatur  
nec paucos abs-  
que supercilio  
docet;

12 Quis enim a tanta et tam incomparabili altitudine prohiberet arrogantiam, nisi pius ipse suam adhiberet custodiam? Israël episcopus Scotigena, sub cujus magisterio illustrissimus hic, de quo loquimur, plurimum se profecisse testatus est, de moribus ejus requisitus a quibusdam, quos ipsi audivimus, hocipsum sollicitius ruminantes, et quasi pro oraculo habentes, sanctum eum adprime virum respondit z. Satis laudabile scitumque doctoris de discipulo testimonium Græci, quibus æque magistris usus est, ad tantam gratiam stupebant, digna nimirum de illo problemata domum suis civibus reportabant, quorum studium quondam fuisse dicitur, aut audire semper aliquid novi, aut invenire aa. Milies interea per dies cogebatur calamitosis patrocinari, consulere afflictis, opem ferre miseris. Quæ omnia sic administrabat, ut refugium factus egenis omnibus videretur. Ita cum esset in ocio, nemo fere magis videbatur in negotio : nec cum esset in negotio, unquam cessabat ab ocio. Lucubrationibus intentissimus inveniens, in dictatu, quæcumque sunt honestissima, acutissimus fuit. Latialem eloquentiam non in se solum, ubi excelluit, sed et in multis aliis politam reddidit et illustrem. Nullo autem hoc egit supercilio, sed cum domestico lepore, tum urbana gravitate.

musquam rem-  
pus otiose tran-  
sigit, bibliothecam,  
quocumque  
circumdæci,

13 Post epulas, cum alii et majores etiam, ut accepimus, paulo agunt remissius, ipse lectioni et meditationi vacabat attentius. Matutinum crepusculum nullo precio vendidit, nec tunc se somno sollicitanti ullo modo credidit. Scurrilia et mimica, quæ in comedis et tragediis a personis variis edita, quidam concrepantes risu se infinito concutiunt, ipse semper serio lectitabat : materiam pro minimo, auctoritatem in verborum compositionibus pro maximo reputabat. Translatiis usus est scolis, non corpore quidem, sed mente, quietus. Quocumque enim circumagebantur tabernacula aut castra regalia, bibliothecam suam, sicut arcam Dominicam, circumduxit, ferens secum et causam studii sui et instrumentum : causam in divinis, instrumentum in gentilibus libris, utputa doctus paterfamilias, qui novit de thesauro suo proferre nova et vetera bb. Nec in ipso itinere desidia locus erat. In turba, quod paucorum est, quasi solus erat. Confabulabatur namque utillimum aliquid cum quovis, aut meditabatur idipsum in quovis.

divino Officio  
attente assis-  
tit, ab aliis ad-  
hibetur in con-  
silio,

14 Cum ad divinum ventum esset officium, animum gerebat intentum, brevi quidem, sed pura se oratione Domino commendans. Iis, quibus vixerat, habitu et gestu aliquando, mente aliud actitans, satisfecit. Non enim aliter tam vere popularis esset, neque tam multis meliora persuasisset. Quicquid sacerdotum Domini, aut perfectorum virorum quispiam illo in tempore magnum in religione moliebatur, hoc quasi solo quodam comite nitebatur : nec rebar auctoritatem suam satis per se vehementem, nisi hunc, quasi succenturiatum, nos-

set se in divina acie sustentantem. Servus autem Dei non mediocriter in incepto profecit. Rumores vulgi pro nichilo duxit, nec quod ante pedes fuit solum, sed multa quoque in posterum prævidit. Hinc est, quod de fratre suo, cognomento patris sui, et de Cunone in affinitatem regiam assumpto ce, dum nimiam inter eos colloqui familiaritatem, et hoc maxime Missarum tempore cerneret, prærago spiritu fertur dixisse : O, in quantam inimicitiarum amaritudinem ista in hoc tempore tremendo male parta contubernia resolventur. Eventus rei non multo post dictis fidem fecit.

15 Prima dispensatio credita est illi adhuc adolescenti in quibusdam monasteriis, in quibus degentes cum idoneo Ecclesiæ testimonio, partim voluntate, partim vi ad regularem vitam constrinxit, sciens, quod et invitis bona præstantur. Ipsaque post paululum Deo sacra loca, annuente regia liberalitate, privilegiis et immunitatibus pristinis reformavit, nichil sibi suisve exinde beneficii jure reservans, nisi quantum cænobiorum patres sponte causa caritatis optulerant. In eis exstat Loresham, locus regum munificentia nobilis, adhuc in memoriam tanti Viri retinens et prærogativam libertatis et monumenta religionis dd.

16 Deinde cum de virtute in virtutem gigantæis, ut ita dicam, passibus iret, et quocumque pedem intendit, semper in voluntate Domini proficeret, orta est subito tempestas dissensionis in ecclesia, dormiente, credo, Jesu in pectoribus vigillum, ante fores domus Domini excubantium, ita ut quidam sathanæ socii, invidia spiritu distenti, imperatorem ipsum, per quem salus erat in populo, videlicet lumen orbis terræ, conarentur extinguere ee. Quare hoc, nisi ut non arguerentur eorum mala opera? Nam teste Evangelica veritate, omnis qui male agit, odit lucem ff. Cassato igitur per Dei miserationem hoc per serpentium sibilum concepto consilio, nequitia suæ virus per totius regni ejus viscera diffuderunt. Quod licet ubique et legum minaretur silentium, et plebis per cædes et rapinas interitum, nusquam tamen atrocius, quam in Occidentis partibus aestuabat. Ibi principes vi et raptu assueti, populi rerum novarum cupidi, civilibus omnes cladibus intenti, aliorum ditescere miseris præoccupabant gg.

monasteria,  
quæ, quomodo  
adhuc juvenis,  
administranda  
acceperat, be-  
neficiis cumu-  
lat,

dd  
dumque in  
virtute quam  
maxime profi-  
cit, ingens rerum  
cessurgit  
perturbatio.

ee

ff

gg

99

## ANNOTATA.

a i ad Cor., cap. 4, §. 7.

b i ad Cor., cap. 12, §. 11.

c Ad Colos., cap. 2, §. 9.

d i ad Cor., cap. 15, §. 28.

e Psal. 64, §. 5 et 6.

f E Suriana et Leibnitiana editionibus sup-  
ple sublimitas.

h Dionysius Sammarthanus, tom. 3 Gallix  
Christ. auctæ col. 645 de S. Brunone, Colo-  
niensi archiepiscopo, tractaturus, sic habet :  
Brunonis stirpe nihil in orbe nobilius ; natus  
est patre Henrico Aucupe, Germaniæ rege, fra-  
trem habuit Othonem magnum imperatorem,  
sororem Haduidem, quæ fuit Hugonis Capeti  
regis mater, nepotem Othonem II augustum ;  
verum ut speciatim magis nobilissimum San-  
cti nostri genus noscas, adi Operis nostri  
tom. 1 Februrii pag. 311 et seq., uti etiam  
tom. 2 Martii pag. 356 et seq.

h An

A h An hæc, veritate salva, de Henrico Aucupe, Brunonis patre, hic tradantur, dijudicare poterit, qui Reginonis continuatorem ab anno, 920, quo Henricus regnare incepit usque ad annum 925, quo Bruno, uti in Comment. prævio num. 21 et seq. ostendi, paulo ante xiv Maii diem natus est, evolverit.

i Sur. et Leib. editio: Inter cives etiam et cognatus etc. repererit.

k Surius legit: Quos sibi longe ante impia usurpavit licentia; sed codici nostro consonat Leibnitiana editio.

l Quæ bella et quam felici exitu contra Danos, Slavos, et Hungaros, qui vere, uti hic dicitur, Marahensium seu Moravorum terminos, tum latius, quam nunc protensos, transgressi, plerasque Henrico Aucupi subjectas provincias vastarunt, princeps hic gesserit, annalista Saxo ab anno 920 usque ad annum 936 enucleate exponit.

m Lotharingiæ regnum, de quo hic sermo fit, Henricus Aucups post comitis Odonis mortem sibi ex eo, quod, quemadmodum Witi-kindus lib. 1 docet, Arnulphus imperator, qui post Caroli Crassi exauctorati obitum regnum illud sibi vindicarat, comiti isti id in beneficium tantummodo concessisset, debere contendebat; cum autem Carolus Simplex idem regnum tunc teneret, Henricus in Lotharienses, principi illi adherentes, ac post etiam, cum ab eo defecissent, arma movit, nec cessavit, donec eos ad sese sibi, veluti legitimo suo principi, subjiciendos adigeret, uti intelligitur ex iis, quæ de Henrico Witi-kindus et annalista Saxo memorizæ produnt.

n Surius et Leibnitius: vel sanare.

o Baldricum Trajectensem, non ad Mosam, sed ad Rhenum seu Ultrajectensem episcopum hic designari, evincunt, quæ in Comment. prævio num. 12 adduci, cumque is antistes, qui ut ibidem docui, usque ad annum 977 vitam protraxit, tum adhuc, cum Sancti nostri Vitam Rotgerus conscriberet, in vitis, uti is hic indicat, exstiterit superstes, fuisse eam ante annum 978 concinnatam, est manifestum. Nec minus manifestum est, Baldricum tum, cum Bruno litteris imbuendus Ultrajectum missus ad eum est, episcopum exstitisse et id anno circiter 929 accidisse. Ad Comment. præv. num. 23 et 24.

p Suriana et Leibnitiana editio: Tyrannis.

q Familiarem etiam Brunoni exstitisse ejus biographum, hinc partim Commentarii prævii num. 13 eruimus.

r Proverb. 29, v. xi.

s Surius et Leibnitius: Huc accedit.

t Idem: Corrugari.

u Ecclesiast. 19, v. 1.

x Apud Surium legitur: Ottho... regnare cepit anno ab Incarnatione Domini nongentesimo tricesimo septimo; verum codici nostro consonat Leibnitiana editio; Surianam autem lectionem a Rotgero non esse præfectam, vel ex eo liquet, quod hic, quemadmodum quæ Comment. prævii § 2 disserui, dilucide evincunt, cum anno Christi 965 conjungat trigesimum regni Ottonis annum, qui, si Otto anno demum 937 regnare incepit, non cum dicto Christi anno 965, sed, ut computanti patescet, partim cum anno 966, et partim cum anno 967 fuerit conjunctus. Ab eodem itaque, qui tran-

slationis S. Evergisi Historiam (Comment. A. Rotgero. prævium num. 15 videsis) in Sancti nostri apud Surium Vitam intulit, interpolatore anonymo fuerint haud dubie proxime jam data, quibus Otto regnare anno 937 incepisse asseritur, editionis Surianæ verba profecta; is enim historiam illam a sequentibus (Sancti nostri apud Surium Vitam cap. 27 consule) hisce verbis, Centesimo octogesimo Dominicæ Incarnationis octavo lustro (id est, nongentesimo tricesimo septimo anno) sexagesimo tertio Indictionum circulo, regnare cepit Ottho, inchoari conspicatus, seque, si hic eodem, quo ibi Historiæ istius auctor, modo assignatum a Rotgero regni Ottoniani initio centesimum octogesimum octavum lustrum exponeret, optime facturum ratus, re etiam ipsa id fecit Ottonemque adeo non centesimo octogesimo octavo Dominicæ Incarnationis lustro, sed anno 937 regnare incepisse signavit, non animadvertens, a Rotgero annum Ottonis trigesimum cum anno Christi, ut mox docui, 965 conjungi, hincque consecrarium esse, ut is Sancti nostri biographus, non ab anno 937, sed ab anno 936 regni Ottonis initium repetat. Lustrum quinque annorum est spatium, cumque adeo 188 a Dominica Incarnatione lustra ad annum 940 deducant ac postremum illorum annos, inter annum 935 et annum 941 interceptos, ac proin tam annum 936, quam annum 937 complectatur, centesimum octogesimum octavum a Dominica Incarnatione lustrum, a quo hic Rotgerus regni Ottoniani initium repetit, non officit, quo minus id ille, non ab anno 937, sed ab anno 936 repetisse credatur; cum autem sic habeat ac proin Rotgeri, in quo Otto anno 937 regnare cepisse asseritur, textus sit certo, ut jam docui, ex interpolatione natus, nullo plane modo, quin is Sancti nostri biographus regni Ottonis initium ab anno, quo Henricus Aucups, ejus pater, obiit, 936 repetat, est dubitandum. Non quidem, ut stricte loquendo facere debuisset, ab ipsa etiam, qua hic princeps obiit, anni 936, uti in Comment. prævio num. 28 et seq. fas est videre, die 11 Julii id facit; verum secutus est morem, in nonnullis etiam usitatum Ottonis Diplomatum, in quibus regni principis hujus anni, non a die patris ejus emortuali, sed ab anni, in quem hæc incidit, 939, ut in Commentario prævio loco mox dicto monui, ac Benedicti Diplomaticæ novæ auctores tom. 5, pag. 751 recte observant, initio numerantur.

y Ottonem I, a rerum gestarum magnitudine Magni appellatione merito condecoratum, principem exstitisse numeris omnibus absolutum, nemo sane non fatebitur, qui seculi x, quo ab anno 936 usque ad annum 973 regnavit, historiam apud scriptores passim obvios vel perfunctorie evolverit.

z Cum Rotgerus, quod Israellem Scotigenam (dicta de hoc in Comment. prævio num. 31 et seq. videsis) de Sancto nostro respondisse hic narrat, sese ex ipsismet, quibus datum fuerat responsum illud, audivisse, dilucide indicet, ita iterum, sese a Sancti nostri ætate haud longe abfuisse, non obscure prodit; ut magis magisque mirer, eum anno demum 1040 claruisse, a Surio asseverari.

aa Actor. 17, v. 21.

bb Math.

A. ROTGERO.

bb Matth. 13, v. 52.

cc *Cuno, Lotharingæ dux, qui frequen-  
tius Conradus vocatur, Luitgardi, Ottonis fi-  
liæ, matrimonia junctus erat, Henrico, Ba-  
varix duci, Ottonis et Brunonis fratri, quo  
aliquando nimis etiam familiariter, uti hic  
indicatur, usus erat, postea factus est inimi-  
cissimus, ut discere licet ex iis, quæ in Com-  
ment. prævio variis locis ac nominatim num.  
50 disserui.*

dd *De hic nominatim expresso, quod, olim  
in pago Rhenensi conditum, quatuor Heidel-  
berga, binisque Wormatia leucis distat, Lo-  
reshamensi seu Laurishamensi aliisque, quæ  
Bruno, licet admodum juvenis, administran-  
da accepit, monasteriis in Comment. præv. a  
num. 37 disserui, simulque, an Sanctus exli-  
terit monachus, examinari, de prærogativa  
libertatis, quam, Brunone agente, monasterio  
Laurishamensi concessam fuisse, Rotgerus  
hic indicat, num. 40 primum locutus.*

ee *Dissensio, de qua hic loquitur biogra-  
phus, feda fuit in Ottonem conjuratio, quam  
qua occasione et quas ob causas in hunc prin-  
cipem filius Ludolphus et gener Conradus  
inierint, in Comment. prævio a num. 50 e  
Witikindo potissimum, Ditmaro et Regino-  
nis Continuatore exposui, qui, quamvis tunc  
Ludolphum et Conradum multa in Ottonem  
machinatos tradant, eo usque tamen vel eos  
vel eorumdem assectas, ut Ottonem, prout  
Rotgerus hic innuere ac ipsemet apud hunc  
infra num. 31 Otto suspicatus videtur, occi-  
dere fuerint conati, progressos esse, non edi-  
cunt.*

ff Joannis 3, v. 20.

gg *De Lotharingæ regno Rotgerus hic lo-  
quitur; ibidem autem, ut innuit, miserrimam  
circa sec. x medium exstitisse rerum faciem,  
e Witikindo aliisque mediæ ævi scriptoribus  
passim obruits est notum.*

## CAPUT II.

*Creatur Coloniensis episcopus, ne-  
potem Ludolphum, arma in pa-  
trem, conspiratione cum Conra-  
do duce inita, gerentem, ad offi-  
cium reducere conatur Lotharin-  
giæque a fratre Ottone præfici-  
tur.*

*Unanimi om-  
nium consensu  
ut Wicfrido,  
defuncto Colo-  
niensi archi-  
episcopo succe-  
dat eligitur.*

Tunc sanctæ Coloniensis ecclesiæ pastor Wic-  
fridus, diu admodum imbecillis, regix ta-  
men majestati et patriæ satis fidus, fessis tan-  
dem relictis terræ artibus, supernis spiritibus  
sociatus est a; plebs autem, destituta pastore,  
in ipsa confusione nil anceps, nil varium molita,  
unicum unice optatum in domino Brunone, ma-  
gnifico viro et probatissimo, sibi delegit sola-  
tium, secuta magnatum et totius cleri consi-  
lium. Qui juvenili corpore moribus maturus b,  
in maximo nobilitatis fastu humilis et mansue-  
tus erat, in sublimitate sapientiæ, quam perce-

pit, non plus sapere, quam oportet sapere, sed  
sapere ad sobrietatem c, animum induxit: in  
regali affluentia parvus sibi, dives amicis fuit.  
In ea primum electione præter ceteros Gode-  
fridus floruit episcopus d; sed quis alium voto  
præiret, difficile quispiam expedit. Hoc uno  
inter spem metumque dubii ferebantur, quod  
honoris dignitatem et Viri gloriam metientes,  
indignum fore tantæ sublimitati metuebant,  
quod ei cum tanto ambitu præparabant. Et re-  
vera si quis in toto hoc regno locus esset angus-  
tior, aut certe clero, populo, ecclesiis omnique  
apparatu elegantior, hic tanti Pastoris receptui  
ab omnibus, qui eum noverant, dignior puta-  
retur.

18 Conspirantibus itaque omnibus et idem in  
Christo sentientibus, cum adhuc inhumatum et  
ad oculos positum, secundum consuetudinem  
loci, corpus bonæ memoriæ decessoris ejus  
aspicerent, electi sunt a senatu sanctissimo  
quatuor summi viri et eodem numero laici, om-  
nes adprime eruditi, qui omnia hæc perferrent  
ad palatium, et, patefacta post defletam desti-  
tutionem electionis unanimitate, memoratum  
desolatis flagitarent solatium e. Quid multa?  
Conplacuit (Deo gratias) imperatoriæ auctoritati  
sic et tempori et loco consulere, ut petitum tanta  
constantia visitatorem festinanter ad desti-  
tuti gregis custodiam mitteret. Missus tandem  
e castris terreni imperii in cælestis Regis taber-  
nacula cum spiritualibus nequitis pugnaturus  
intravit f, artes secum exercitationesque virtu-  
tum, arma fidei præ se ferens. In illo mox novi  
ejus comites viderant et quod blandiebatur, et  
quod terrebat. Affabilem nanque se valde et  
mitem præbuit, et cum ejus industriam in  
agendis nichil effugeret, requisivit tamen un-  
decunq; sollicitus, quid agendum sibi esset,  
quibus consuetudinibus inniti debuisset.

19 Erat ei humilitate comitante condita gra-  
vitas, ita confluenti turbæ modice hilaris et per  
omnia mirabilis apparebat. Ventum est ad sa-  
cratissimam sedem, huic pio provisorio ab omni-  
potente Domino ante tempora præparatam, in  
ipso tempore præsentatam. Factus est concu-  
sus ingens populi, infinita trepidatio vulgi: no-  
vis gaudiis exultavit civitas. Clerus ex mona-  
steriis convenit, sanctimonialium multitudo con-  
currit, conditio qualibet et sexus uterque plus  
solito ad gaudia convenerunt. Ecclesia læta  
prolem suam, maternis catenus lactatam ube-  
ribus, jam in Christi gratiam adultam, in die  
tantæ sollempnitatis ablactavit, et spiritualiter  
matrem esse constituit, quæ sibi postmodum fi-  
lios, in quibus Christus formaretur, affectu  
dulcissimo parturiret. Episcopi autem, qui fre-  
quentes aderant, et hujus sancti Cleri Senatus,  
acclamantibus cunctis in voce exultationis et  
salutis, electum a Deo et hominibus Virum su-  
per cathedram pontificalem sedere fecerunt, et  
laudem simul Deo universi clamore, quo quis-  
que poterat, in organis nichilominus et cymba-  
lis, et quocunq; signo leticiæ personuerunt.

20 Exinde omnis ejus intentio, omne  
studium matri Ecclesiæ aut munimento fuit  
aut ornamento; munienda scilicet erat ex-  
terius, ornando interius: munienda in se-  
cularibus, ornanda in spiritualibus. Dilexit  
ante omnia decorem domus Domini, et lo-  
cum habitationis gloriæ ejus g. Hoc se ardere  
desiderio multis modis perspicaciter ostendit,  
quod

*Coloniæque  
ab Ottone fra-  
tre, electioni  
ejus assenten-  
te, missus,*

*honorifice sibi-  
dem excipitur,  
solemnique ritu  
in sede episco-  
pali locutus,*

*omnes dein-  
ceps episcopi  
partes sedulo  
implere est ni-  
sus,*

A quod hic scripto perstringere necesse non est, quoniam quidem illustrium ejus factorum memoria recens est *h*, nec in ejus populo de eo loqui cessabit omnis, qui veritatem et fidem amabit. Quaedam tamen de his, ut proposuimus, propter exemplum et instructionem plurimorum scriptorum, silentio tegenda non sunt. Impossibile nanque est, tanti viri gesta, per cotidianos virtutum profectus evolvere, dignisque factorum laudibus magna ejus merita congruenter attollere, quæ longe lateque, more prudentissimæ apis, ut Christi bonus odor esse posset, benefaciendo et oppressorum inopiam sustentando, collegerat.

moque a pacis inimicis, sua luce contraria consilia Sancti electione turbati ægre ferentibus,

21 Hoc nimirum aliis ad vitam, aliis ad mortem erat. Nam qui amaritudinis zelo succensi, bonarum artium ignari, dissimillima suis studia factis, quæ immutare i poterant, nec venerari noverant, detrahendo et maledicendo pervertere conabantur, mortem sibi et væ perpetuum comparabant, secundum prophete comminationem dicentis: Væ, qui dicunt malum bonum, et bonum malum: ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras *k*. Qui vero sequitur *l*, dicit Dominus, non ambulat in tenebris *l*. Hic profecto ante tempus non judicat, nec quenlibet facile ex sua sententia dampnat. Bonis igitur propositum est, pessimis displicere: unde vitam suam non popularium vanitate sermonum, sed conscientie veritate metiuntur. Antequam in suggestum pontificalem Vir iste in lege Domini eruditus ascenderet, seditiosis nostræ republicæ civibus, quos inflamavit spiritus sathanæ insurgere in Christum Domini, erat spes quedam Coloniam potiundi *m*.

calumniis appetitus, a fraude, tunc occupatam a rebellibus Moguntiam,

22 Ita magnanimum regni Lotharici populum aut pacis sibi federe devinciri, aut crebro belli impetu, propter opportunitatem loci, terreri posse arbitrabantur. Sed postquam illam hic filius pacis, custos ecclesiarum Dei pervigil, introivit, dici non potest, quanto mœrore sint afflicti, quanta desperatione incepti sui perficendi obducti sint, quicumque in hoc regno erant pacis inimici. Hinc blasphemie, maledicta, probra et multimoda impietatis commenta. Sane mentia est iniquitas sibi, ut quia pastorem nec corrumpi, nec ullo modo seduci posse sciebant, gregem saltem ab ejus amore, si quis daretur hujusmodi fraudis processus, his mendaciorum ostentis averterent. Docti nanque et magni viri invidiam promereri norunt, habere nolunt. Ea tempestate ab imperatore et exercitu ejus obsessa est Magontia, urbs nobilis et opulenta *n*. Erat enim referta hostibus et insidiatoribus regni *o*: et ubi vigere solebat sinceritas religionis, illic maxima confluit sentina dissensionis.

de cuius episcopo non una omnium erat sententia,

23 De archiepiscopo loci, varius principum, æque et vulgi, sermo fuit. Alii innocentiam ejus in cælum ferre, virtutes prædicare, ea quæ passim, et in illis præsertim partibus, per civile malum perperam agebantur, ipsi præ omnibus odiosa dicere: quippe partes eum execrari testabantur. Idcirco e medio secedere, minimum curare, cui urbs pateret, cui milites obedirent. Hæc fere illorum erat sententia, qui conjuratione impia federati, ejus jugi auxilio et consilio in omnibus se fretos esse jactabant: hoc solo causam suam defendentes, quod, nequaquam reproba esse posset, cui ta-

Octobris Tomus V.

lis vir communicare vellet. Alii vero, et pene omnes, quorum cordibus divina gratia inspiravit, potestatem ordinatam a Deo venerari, imperatorem omni devotione sequi, tutorem opum, vindicem scelerum, largitorem honorum: ipsi etiam, quibus domi sua res familiaris, conjuges et liberi curæ erant, aut pax et salus sua quomodocunque dulcis extiterat, longe aliter hujus viri merita estimabant *p*. Nos interim hæc Dei judicio relinquamus, et a diverticulo ad propositum redeamus.

A. Rorensio.

24 Novum itaque Agrippinæ civitatis custodem, et designatum antistitem imperator ad novum invitavit consilium, expertus quid ante hanc injunctam ei curam mente linguaque posset. Ibi varius altrinsecus assentantium favor, et prope cui merito crederetur, incertum. Audire hoc erat frequentius etiam ab iis, qui in castris regalibus militabant, laudare adversæ patris fortitudinem, preferre in eisdem innocentiam causæ, quod coacti et nimis invitati, hunc sibi laborem assumerent: et quandoquidem nec inter hostes quisquam tam demens inventus est, qui majestatem regiam blasphemaret, in Henricum fratrem ejus Bauvariorum ducem et marchionem inelytum, barbaris et omnibus id locorum gentibus, ipsis etiam Grecis formidabilem, crudelitatis inchoatæ culpam omnem et malitiam retorquebant *q*. Revera autem quo quis melior, et ad conservandam imperatori et regno ejus fidem promptior erat, hunc magis exosum habebant.

obsidente, accessus in castra, adhibetur in consilium;

E

25 In hoc impie latrocinantis et perjuræ partis odium, Bruno gloriosus et populo Dei optatus præsul, semetipsum sponte libensque conjecit, nec duplici corde, nec labiis dolosis cuiquam occasionem prebens, aut dissimulare quod vellet, aut simulare quod nollet. Ita neque alium fallere animum induxit, neque ab alio se falli ipse consensit. Prius tamen durat temptavit corda rebellium si quo modo ullis salutiferæ suasionis ejus et doctrine possent curari fomentis, ultimam cauterii differens medicinam, donec pia sollicitudine diligentius experiretur, quid sibi hæc infrenis audacia polliceretur. Erat in ea conjuratione princeps, imperatoris filius Liudolphus, unice clarus et spectabilis adolescens, qui non solum ad conservanda, verum etiam exornanda patriæ monumenta victoriæ sufficeret, si seductoribus minime credidisset, et heres esse, non proditor, voluisset. Sed quoniam festinans ditari, paterno non meruit obedire consilio, contigit ille secundum veridicam Salomonis sententiam, ut hereditas, ad quam festinavit in principio, in novissimo benedictione careret *r*.

primoque rebellium animos lenitatos tentandos consens, horum coryphaum Ludolphum,

F

26 Egregius vero plenus consilii, futurus et jam designatus, ut diximus, sacerdos Domini, dolens de contemptu fratris, de interitu nepotis, eundem, accepta fide per obsides, in castra belluino animo venientem *f*, eductum, ut ferunt, de turba seorsum, ita allocutus est: Nescis juvenum omnium, quos terra tulit, clarissime, quantum tibi tuisque profueris, si ammonitionis meæ verba in pectoris tui secreta demiseris. Tu nanque maxima gloriosissimi patris tui cura, nostra gloria, quid nobis sperandum relinquis, si teipsum nostris votis ademeris? Non respicis honorandam pii genitoris tui canitiem, quem te contristare, cui te injuriam inferre non expedit?

Moguntiam, securitatis fide per obsides accepta, egressum, oratione gravi



A. ROTHEBO.

Non recordaris ejus paternam erga te a puero pietatem? Deum, michi crede, offendis, cum patrem contempnis. Non est quod te excuses. Ad injuriam ejus respicit, quicquid novum contra hoc regnum absque ejus voluntate moliris. Causam tuam tractas cum inimicis tuis, quod contra decuit cum amicis. Illi enim non te, sed quæ sua sunt, querunt in te: salutem tuam parvi pendunt: verbis omnia, non rerum veritate, metiuntur.

justa ac ad  
movendum  
apta aggre-  
ditur,

27 Non istud est sapere. Vide, quæso, quo te ducant. Qui eras gaudium et corona patris, spes et oblectatio totius regni, quomodo conversus es in amaritudinem? Desine tandem esse Absalon, ut possis esse Salomon. Cogita quis te tantum exaltaverit, quis omnes regni hujus principes tibi sacramentorum fide firmaverit. Quare hoc fecit? Nunquid ut ingratus existas? Nunquid ut proditor esse discas? Vere insaniunt, qui te sic decipere volunt. Time quotidianos singultus, expavesce frequentes gemitus, horresce lacrymas patris tui. Minus ægre ferret totum sibi ab hostibus pre-

ripi regnum, quam te, cui servat regnum. Innocens cor tuum venenosis heu! blanditiis seductum est: paternæ pietatis patet sinus, in quo nullus est dolus. Dolet pius pater filium sibi corruptorū impietate præreptum: gaudebit ad reditum. Si paulo iratior est seductoribus tuis, cito mitescet, cum te suas delicias receperit: nec scelere, sed errore hoc actum esse judicabit, cum te sibi restitutum senserit, quem etiam plus quam seipsum amavit.

sicque cum in  
viam, sed fru-  
stra, reducere  
conatus,

28 Hæc et his similia dominus Bruno vir bonus, dicendi peritus, de salute pulcherrimi juvenis valde sollicitus, perorabat. Ille vero, quasi cujus mentem erynnis ad ceptum nefas instigasset, aurem cordis sui nequitiam passus est hujusmodi monitis admoventi: vix auditu exteriori, ne videretur nimis insolens, propinquavit. Innocens enim ab hujus dissensionis miseria videri quam esse, honestius duxit. Movit ejus juvenilem animum anxietas et metus elegantissimorum comitum, qui, nisi illius impiæ conjurationis tabe essent infecti vel adpersi, ornatus et jucunditas esse possent etiam imperatoriæ dignitati. Tunc utique tam de-

considerabilem, tam manu fortem, tam egregiam ejus prolem deceret hoc agmine stipari, de hac delecta juvenum excellentia gloriari. Erat præ omnibus in ejus animo quasi quidam stimulus, dux paulo ante fortissimus, tunc autem predo audacissimus Cuno, etiam parta, ut ipsi jactabant, divitiarum et regni gloria: sed revera labor sterilis pro tranquillitate, sollicitudo semper anxia pro securitate. Nam is, cui, ut ita dicam, omnia erant in manibus, agendo ut plus haberet, ut nichil haberet, omnimodis effecerunt.

ab Ottone, qui,  
ut Bavaris,  
ab inimicorum  
suarum machinationibus  
periclitanti.

29 Interea tamen modis omnibus nec dolis minus quam viribus certare, neque dies, neque noctes requiescere, adversarios interdum suspectos facere, nichil intemptatum relinquere, neque quicquam pensi habere, dummodo id efficerent, ut maximis intra regnum urbibus et his opulentissimis, quocumque ingenio potirentur, inde cunctis regni finibus facile se imperatores arbitantes. Ac ne quid penitus sine fraude fieret, cum Arnolde, strenuo imprimis viro, cui summa rerum per idem tempus in Bauvariorum terra commissa fuit, secretius pollicitationibus infinitis, commemorando insuper odium vetus,

egerunt ut se primum, deinde Regenesburg D urbem præclaram, postremo totum illud regnum Henrico duci perjurus abdicaret *u*; tantum sibi roboris inter eos invidia et odium vindicavit. Simul Ungros, antiquam pestem patriæ sollicitabant, ut regnum ipsum divisum invaderent; arbitantes, hoc modo sollicitudinem, qua premebantur, aut penitus adimi, aut aliquatenus minui posse.

30 Hac de re, utputa tam subita et improvisa, commotus imperator et magis illorum miseræ, quam suo dampno, dolens, obsidionem Magontia, accepto tandem, quod petebatur, pacto, dimisit *x*, e castris Orientem versus cum his, quos fidos habuit, consultum partibus illis festine proficisci disposuit, fratrem suum Brunonem Occidentii tutorem et provisorem et, ut ita dicam, archiducem in tam periculoso tempore misit *y*, cui talia mandata dedit: Unum nos semper idemque sensisse, nec unquam vota nostra in quocumque negotio discrepasse, dici non potest, Frater dilectissime, quantum delector. Et hoc est, quod in acerbis meis rebus me maxime consolatur, cum video per Dei omnipotentis gratiam nostro imperio regale sacerdotium accessisse. In te nanque et sacerdotalis religio et regia pollet fortitudo, ut et scias sua cuique tribuere, quod est justitiæ, et possis adversariorum sive terrori sive fraudi resistere, quod est fortitudinis et justitiæ *z*, nec abesse tibi jam dudum perpendi ipsam ingenuarum artium matrem et veram virtutem philosophiæ, quæ te ad hanc modestiam magnitudinemque animi erudit.

consulat, Mo-  
guntia obsidio-  
nem solvit,  
Occidentis seu  
Lotharingia  
gubernator  
statuitur, ac  
abs illo.

31 Scio itaque, Frater mi, scio, quod nemo prudentiæ tuæ persuadere, id tua non interesse, quantum perversi de bonorum perniciæ giorientur, quacumque id, quod intenderint, honestate verborum velent. Dicent fortasse, bellis hæc sedanda esse, quæ ad te non pertinent, quæ tui ministerii dignitatem non deceant. Hujusmodi fraudulenta verborum jactantia istius metropolis præsul vides, quantos ad civilis cladis rabiem illexit, qui, si subducere se vellet a dissensione, quemadmodum fingit, et bellorum periculo, ut religioso degere posset in ocio, nobis profecto et nostræ reipublicæ melius id, quod ei regali munificentia contulimus, reddidisset, quam hostibus *aa*. Hostes dico, ut fere omnes sentiunt, nefarios civium predones, patriæ proditores, regni vastatores, militiæ desertores, qui neipsum utique sacrilega audacia suis (credo) manibus necatum, aut quovis quam acerbissimo mortis genere perisse vellent, cui filium sustulerunt, fratrem regno, liberis, ipsaque dulci conjugæ, vita denique ipsa privare contendunt *bb*. Tu solus michi demum es solidum, fidum, firmumque solatium, qui tantum ab ineunte ætate in bonis actibus profecisti, ut bene facere summaque diligentia omnia circumspicere tibi jam ex consuetudine in naturam venerit.

*y*

E

z

qui in Bava-  
riam, acerbè  
de inimicorum  
suarum per-  
versitate

F

aa

bb

32 Te plane sospite si jocunde et ex integro frui fueris, ut mens mea semper flagitat, desiderium postulat, animus implorat, tum dignitas, tum gloria, tum decus aderit. Præsidiis satis abundeque nobis est, ne \* nobis nos desimus, hoc vero summo opere curandum est. Tu michi, tu, inquam, testis, quanta cura, quantaque benivolentia foverem, tuerer, amplecterer hos, quos modo tam crudeles patior, quibus tamen adhuc quam libentissime

ac ingrati-  
tudine conquestus

forte ni

tissime

A tissime mederi vellem, si sibi parcere ipsi vel-  
lent. Ah quanta importunitate præcipites perire  
festinant, secumque prolem meam, innocenter  
educatam, in omnia scelera versant. Ita in  
potestatibus temperare illis adeo difficile est,  
qui per ambitionem probos se non esse, sed  
videri præoptant. Nosti, dilectissime, quod  
quidem cum dolore recolo, eos michi frequen-  
ter duriores et magis infidos fuisse, quos am-  
plius fovi, quos in multis necessitudinibus fe-  
deratissimos amavi, quos denique michi con-  
iunctissimos existimavi. Grave hoc perpessu  
fuit, duplex miseria. Quod autem urget, mala  
superiora preponderat, cum ille, quem geni-  
tui, preceptus michi, paternæ pietati didicit  
insidiari.

Sanctumque,  
ut hæc com-  
pescat, har-  
tus, discedit,  
digrediens,  
Aquisgranum  
se confert.

33 Enitere igitur, Vir Deo dedite, non quo-  
modo primum, sed modo potissimum enitere,  
queso, consilio illo tuo, quo calles plurimum,  
ut pro loco et tempore aut arma dissuadeas,  
aut quoquo pacto compescas. Absens tibi  
corpore, ubicunque ero, gaudeam tibi, gra-  
tuler providentiæ et moderatiõni tuæ. Id mi-  
chi reputare libet, quod feceris, id itidem libeat  
tibi, quod fecero. Opto et cumulate desidero,  
ut ea nobis sit votorum et oblectamenti sum-  
ma non tantum coram Deo, sed etiam coram  
hominibus provideri bona alterutrum ea, quæ  
sunt, et, si fieri potest, cum omnibus habere  
pacem. Deinde, postquam ruerint in oscula,  
non sine lachrymis ab invicem digredientes,  
imperator Orientem, Frater ejus Occidentem  
petivit. Moxque ad Aquisgranum palatium pro-  
peravit: ibi principes regni, quorum id inter-  
erat, convenit, eos variis multisque modis in-  
struxit; atque hoc cum eis potissimum egit,  
ne seductoribus aut vanis eorum promissis  
crederent, ne minas timerent; regiæ majestati  
et suæ ipsorum fidei pollicitationes nullas  
preponerent, spondens se ante tempus et in  
tempore semper paratum fore, ut pacem Ec-  
clesiæ violatam, si sic necesse esset, vitæ etiam  
suæ periculo reformaret etc.

## ANNOTATA.

C a Wicfridum anno 953 circa Julii initium  
obiisse, in Commentario prævio § IV ostendi:  
ast id determinata etiam septima mensis hu-  
jus die accidisse, affirmant non tantum Calle-  
sius et, qui perperam pro se Frodoardum  
citat, in Archiepiscopis Coloniensibus Diony-  
sius Sammarthanus, verum etiam in iisdem  
Archiepiscopis Sammarthani fratres et tom.  
2 Martii pag. 362 in suis in B. Mathildis Vi-  
tam Annotationibus ad lit. o Henschenius. Id  
conspicatus, sedulo, unde ista horum omnium  
assertio primitus profuacrit, examinavi;  
verum nullum, e quo hausta esse queat, vel  
scriptorem vel documentum, antiquum fide-  
que indubitata dignum, invenire quivi.

b Annum ætatis suæ trigesimum, utpote  
paulo dumtaxat ante XIV Maii diem anno 925,  
uti in Commentario prævio num. 22 docui,  
natus, nondum attigerat, eratque tamen etiam  
jam tum Ottonis archiepiscopus, uti liquet,  
tum ex iis, quæ Commentarii prævii num. 45  
adduci, tum e S. Mathildis apud nos ad XIV  
Martii diem Vita, in qua num. XI sequentia  
de Brunone leguntur verba: Cum autem pro-  
fecisset ætate et sapientia, rex adjunxit eum  
sibi per amorem fraternitatis in ministerium

archiepiscopi. Interim obiit Wigfridus vir  
venerandus, qui archiepiscopalem Coloniæ se-  
dem possedit et munere superni Dispositoris  
Brunoni cessit episcopalis honor dignitatis.

c Ad Rom. 12, §. 3.

d Spirensis nempe, cum nominis hujus epi-  
scopus, qui tum sedem aliam vel in Germa-  
nia vel in Lotharingia occupavit, haud inve-  
niatur.

e Cum Bruno, ut Rotgerus hic docet, una-  
nimi omnium suffragio, dum Wicfridi, sub  
Julii initium defuncti, corpus inhumatum ad-  
huc jaceret, electus fuerit Coloniensium epi-  
scopus, fuisse illum trigesima demum Augu-  
sti die, ut Dionysius Sammarthanus et Hen-  
schenius locis jam supra ad lit. a citatis avertit,  
Wicfrido in sedem Coloniensem susceptum, in  
animum quis inducat? Id sane, cum, teste  
hic Rotgero, fuerint etiam, qui Brunonem,  
statim atque fuerat electus, Coloniensi eccle-  
siæ concedi pastorem postularent, ad Ottonem  
missi, hicque, qui tum, ut apparet, Colonia ne  
octo quidem dierum itinere cum exercitu aber-  
rat, postulationi illorum annuens, Brunonem  
festinanter Coloniæ miserit, a veritatis spe-  
cie, etsi etiam Sanctus non prius, quam cum  
sedis Coloniensis possessionem adierit, sta-  
tuatur creatus Coloniensium episcopus, ab-  
horre mihi videtur. Neque vero ullum, e  
quo Brunonem Wicfrido, anno 953 circa Julii  
initium vita functo, trigesima demum Augu-  
sti die in sedem Coloniensem fuisse susceptum,  
probari ulla ratione queat, vel scriptorem vel  
documentum antiquum fideque integra di-  
gnum invenire, diligentissima licet facta in-  
dagine, usquam quivi.

f Cum Brunonem, postquam, ut in episco-  
pum Coloniensibus concederetur, horum le-  
gati ab Ottone postulassent, Coloniæ fuisse  
festinanter abs hoc missum, Rotgerus mox  
dixerit, fuisse illum eo tandem missum, modo  
verosimillime hic dicit, non quod diu, post-  
quam mitti eum Coloniensium legati postulas-  
sent, sed vel quod e terreni imperii castris, e  
quibus nondum quemquam ad regendam Co-  
loniensem ecclesiam mitti contigerat, vel  
quod, quamvis cito quidem, serius tamen,  
quam Colonienses desiderassent, missus esset. F

g Psalm. 25, §. 8.

h Hinc iterum liquet, Rotgerum haud diu,  
postquam Sanctus obiisset, litteris esse hanc  
Vitam ejus complexum.

i Verbo huic, pro quo Leibnitiuss habet  
imitare, apud Surium præponitur adverbium  
nec.

k Isaiæ 5, §. 20.

l Joannis 8, §. 12.

m Cum seditiosis, qui in Ottonem insurre-  
xerant, fuerit adhuc, priusquam Bruno Co-  
loniensem cathedram ascenderet, spes quæ-  
piam, ut Rotgerus hic ait, Colonia potiundi,  
spesque illis hujusmodi, si jam tum ab Ottonis  
exercitu, Moguntiam obsidente, inclusi in hac  
civitate fuissent, futura fuisse haud videatur,  
consecrarium inde apparet, ut Sanctus, prius-  
quam Moguntia ab Ottone obsideretur, Colo-  
niensium fuerit creatus episcopus; id autem  
non diu etiam ante civitatis illius obsidio-  
nem ac proin anno 953 circa Julii initium  
accidisse, fas est colligere ex iis, quæ in Com-  
mentario prævio num. 54 et seq. disserui.

Certe

A. ROTGERO.

A. ROTGERO.

Certe Brunonem ante anni 953 decimam quartam Maii diem Coloniensem cathedram haud ascendisse, perspicuum vel ex eo fit, quod anno 965, ad mox dictam Maii diem jam propecto, duodecimum adhuc episcopatus sui annum numerarit, uti Rotgerus per ea, quæ num. 62 scribit, non obscure prodit.

n Cum scilicet ad cathedram Coloniensem paulo ante Bruno, quod e jam dictis anno 953 circa Julii initium factum, jam fuisset promotus.

o Moguntiam nimirum, haud procul a Rheno et Mæni confluentibus sitam, quæ non tantum, ut nunc, sede archiepiscopali erat insignita, sed et Franciæ Orientalis, uti in Commentario prævio plus semel monui, censebatur metropolis, Ludolphus et Conradus, qui ob causas, in Comm. prævio num. 49 et seq. expositas in Ottonem conspirarant, cum sequacibus suis tunc tenebant.

p Archiepiscopus Moguntinus, de quo hic loquitur Rotgerus, erat Fredericus, ad sedem illam anno 937 promotus. Hic, qui non semel Ottonis inimicis vel sese aperte iunxisse vel certe utcumque favisse videtur, Conrado et Ludolpho civitatem suam tradiderat, indeque, cum ad hanc obsidendam certo venturum Ottonem, intellexisset, ad Brisacense castellum, latibulum, ut Reginonis continuator ad annum 953 loquitur, semper Deo regi-que rebellantium, sese rerum eventum ibidem expectaturus receperat. Hæc agendi, quam Fredericus tenuit, ratio via ac ne via quidem excusari, ut apparet, potest, neque vero illam Rotgerus, uti quæ hic scribit, satis produnt, approbasse videtur. Excusare interim, quæ Fredericus toto episcopatus sui tempore in Ottonem egit, nititur in suis in Schannati diocesis et Hierarchiam Fuldensem Antimad. num. 63 Ekkhartus; verum, etsi quidem Fredericus pietate et vitæ austeritate præstitisse videatur, merito tamen, ut rite omnibus, quæ de eo tam ipsemet Ekkhartus, quam Witikindus aliique, ab Ekkarto laudati, scribunt, æpensio opinor, visus fuit, uti a Reginonis continuatore ad annum 954, quo archiepiscopi illius mortem narrat, pronuntiatur, Reprehensibilis, quod sicuti vel unus regis inimicis emersit, ipse se statim secundum apposuit.

q Cur id facerent, colligi potest ex iis, quæ Reginonis continuator ad annum 951 scribit, r Proverb. 20, §. 21.

s Quod de Ludolpho, in patris sui castra, fide per obsides accepta, veniente, Rotgerus hic narrat, verosimillime illud ipsum est, quod de Ekberto, in obsidem, quo liber ex urbe Moguntina duobus circiter mensibus obsessa ad Ottonis castra accessus pateret, obsessis dato, Witikindus refert. Adi Comment. prævium num. 54.

t Otto nempe, qui Ludolphum, Editha, matre ejus, priori uxore sua, anno 947 et vivis sublata, hæredem suum, ut Witikindus sub lib. 3 initium docet, constituerat, ei etiam fidem, ut Frodoardus in Chronico ad annum 953 testatur, jurejurando a magnatibus suis promitti curarat.

u Arnoldus, de quo hic sermo fit, erat Arnolphi seu Arnoldi Bavaricæ ducis, cognomento Mali, anno 938 defuncti, filius, qui cum ob patris ducatum sibi non collatum Ot-

toni esset infensus, facile hujus inimicis, potestate, quam ab Henrico Bavaricæ duce, cum is e Bavaria ad Ottonem, Moguntiam obsesurum, cum auxiliariis Bajoariorum copiis discederet, in Bavariam, veluti hujus palatinus comes, acceperat, abusus, sese adjunxit pluresque Bavaricæ, regni nomine a Rotgero hic distinctæ, urbes ac imprimis claram admodum ad Danubium, quæ Ratispona seu Reginoburgum, vernacule Regensburg vocatur, Ludolphi nomine occupavit. Comment. præv. num. 57 videsis.

x Quale existit, quod Otto tandem accepisse hic dicitur, pactum, nusquam inventio expositum; Verum unam e pacti conditionibus fuisse opinor, ut Otto, trans Rhenum digressus, liberum Ludolpho permetteret ex urbe Moguntina egressum. Ea sedet sententia, quod, cum in modo, quo Moguntiaë obsidio fuerit soluta, Witikindus a Rotgero et anonymo Vitæ S. Udalrici scriptore, uti ex iis, quæ in Comment. prævio num. 57 et duobus seqq. adduxi, fas est videre, discrepet, nihil omnino, quo bini hi posteriores in concordiam cum Witikindo utcumque adducantur, superesse videatur, quam ut Otto, cum ab Arnulpho Ratisponam aliasque Bavaricæ urbes pro Ludolpho occupatas esse intellexisset, Moguntiaë obsidionem solvisse Ludolphumque, qui tunc e civitate illa egressus Bajoaricæ, ab Henrico deficientibus, auctus, iter in Bavariam, Arnolpho illic sese juncturus, arripuerat, secutus eo esse statuatur.

y Fuisse Brunonem Lotharingicæ non tantum ducem seu gubernatorem, verum etiam veluti archiducem seu supremum gubernatorem ab Ottone post Moguntiaë obsidionem ac proin, uti in Comment. prævio num. 60 ostendi, anno 953 sub Septembris initium constitutum, Rotgerus hic prodit; verum etsi sic habeat, Bruno non tantum non archiducis, sed nec, contra ac in Comment. prævio opinatus sum, ducis titulum sibi, ut apparet, adscripsit. Certe in duabus, quarum altera apud Marteneum tom. 2 veterum script., altera apud eundem Marteneum veterum Monum. Collectionis amplissimæ tom. VII existat, Chartis antiquis, Brunonis nomine signatis, sibi hic Sanctus noster archiepiscopi, non autem vel ducis vel archiducis titulum assumit, nec ullum, in quo secus faciat, diploma aut monumentum antiquum invenire quivi; cum autem sic habeat, non fuit sane, cur ex eo, quod Chronici Belgici Magni auctor aliique scriptores antiqui Brunoni attribuant archiducis titulum, fuisse hunc ab ipsomet Sancto nostro usurpatum, Meibomius inferret, uti in Comment. prævio § v ostendi, simul etiam probans, Brunonem haud merito, quod regnum Lotharingicæ gubernandum acceperit, a Meibomio reprehendi ac veluti, qui primus ex episcopis ducatum seu principis politici munus sibi comitti passus sit, perperam traduci. Bruno quidem, cum antea Colonienses episcopi non jure gladii, sed tantummodo jurisdictione usi essent baculi pastoralis, politicam in diocesim suam potestatem jusque gladii et obtinuit et ad successores suos transmisit; verum aliarum diocesum episcopi fuerant jam antea in hasce pari potestate ac jure gavisi, uti in jam dicto Comm. prævio § v fas est videre.

z Surius

A z *Surius et Leibniti* etiam habent justitiae, sed horum prior legendum putat prudentiae, posterior vero malit constantiae.

aa Ita de Moguntinae metropolis praesule hic Otto, sibi sane, quam is erga se tenuit, agendi rationem minime probari, dilucide prodens.

bb Regni titulo Rotgerus hic afficit Bavariam, qua Henricum Ottonis fratrem, ducis titulo illi praefectum, privare, aliaque, de quibus hic Otto conqueritur, mala inferre contendisse inimicos, e Wilikindi verbis. Comment. praevii num. 57 recitatis, fas est colligere.

cc De hac Brunonis habita ad Lotharingiae magnates exhortatione, Comment. praevium num. 74 et seq. videsis.

## CAPUT III.

B Ordinatur episcopus, clerum et monachos optime instituit, pacem in Lotharingia, irrupentibus interea in hanc Hungaris, procurat, epistolam synodicam ad Agapitum Papam Romam mittit, pallium inde accipit, sacris conquirendis reliquiis studet.

Episcopus ordinatus decem-  
sors suos, stu-  
diose, quacum-  
que episcopi  
sunt,

Hoc facto, Coloniam laetus rediit. Expectabatur ordinationis tempus et unctionis laetitia salutaris. Hoc facto a, innovatum est gaudium plebis, et refulsit in conspectu omnium, qui convenerant, ornatus stola jocunditatis Sacerdos Domini Salvatoris. Postea nardus preciosa dedit odorem suum, in medio Ecclesiae aperuit os suum. Audiebatur secundum Domini institutum sonitus intrantis in domum Domini Dei b. exemplum et documentum factus est omnibus obtemperantibus sibi in salutem. Quid autem fecerit, quomodo docuerit, qualiter pro pace ecclesiarum Dei seipsum impenderit, actu est mirabile, dictu difficile. Tantum enim superiorum insignia hujus quotidiana opera precedebant, ut totum, quod in ecclesiis sive ampliandis sive restaurandis, quod in reliquiis et corporibus Sanctorum in suam parochiam transferendis, quod in publicis vel privatis aedificiis componendis, quod in ordinandis domibus, familiaeque sanctae Dei Ecclesiae rebus fecerat, ad aliorum opera pene incomparabile videretur. Nam, sicut super omnes docentes se intellexit, ita cordis sui aciem, ingenii acumen, animi vigorem ad majora sapientiae et virtutis opera direxit.

faciendo, super-  
rat,

35 De religione primo et cultu Dei, quod Graeci Theosebian dicunt, secundum datam sibi sapientiam, canonicam et Apostolicam auctoritatem secutus, instituit, ut multitudinis, quae in diversis congregationibus ad ejus honorabilem sedem pertinentibus erat, unum cor

esset et animae una: ut vestium superfluitas, morum inequalitas, et, quicquid effeminatum et indecens in ejus ecclesia videretur, vera spiritali circumcissione, quod est initium sapientiae, diligentissime abscinderetur: ut divinis ministeriis omnes, quorum id intererat, intentissime secundum praefixam sibi regulam viverent, nec aliam sibi suae salutis causam ullatenus estimarent. Haec et his similia cum venerandis patribus et cleri sui senioribus frequens egit, eosque in custodia Domini gregis secum pariter invigilare sollicitus ammonuit. Et quia culpa temporum urgebatur, ut rarius haec cum illis ageret, quam volebat, sollicitus absens non minus, quam praesens, spiritu fervens, Domino serviens, estuabat. Erant ei foris pugnae, intus timores. Pugnabat contra luporum, Ecclesiam Dei devastare cupientium, rabiem: timebat Domini ovium simplicitati, sicut Apostolus: Timeo, inquit, ne serpens sicut Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri a simplicitate, quae est in Christo Jesu c.

36 Ita exercitato pectore contra adversa omnia robustissimus erat, in prosperis quoque talis animus minime vacillabat, rebus aequae et crebris exercitationibus docens omnes sibi subiectos, sollicitos servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Visus est singulari illa mentis suae agilitate pene excessisse generale illud, quod dicitur, mentem, cum dividitur ad multa, fieri minorem ad singula. Cogente imperiali auctoritate, suscepit, ut jam dictum est, tractare negotia regni apud Lotharios, et, cum unicuique de principibus et magistratibus suum partiretur onus d, nihil tamen erat, quod non ipse obiret, hoc maxima consilii vivacitate providens, quod omnibus expediret. Causantur forte aliqui, divinae dispensationis ignari, quare episcopus rem populi et pericula belli tractaverit, cum animarum tantummodo curam susceperit. Quibus res ipsa facile, si quid sapiunt, satisfact, cum tantum et tam inusuetum illis praesertim partibus, pacis bonum per hunc Tutorem et Doctorem fidelis populi longe lateque propagatum aspiciunt e; ne pro hac re, quasi in tenebras amplius, ubi est praesentia lucis, offendant. Nec vero nova fuit hujusmodi gubernatio, aut sanctae Dei Ecclesiae rectoribus ante inusitata; cujus exempla si f requisierit, in promptu sunt.

37 Nemo igitur super hac re culpabilem eum dicat, cum Samuelem sanctum et alios plures sacerdotes pariter legamus et judices, et Daniëlem prophetam duos presbyteros ad mortem damnasse legamus g. Nos vero ad alia festinantes, quid quisque de pio hoc Viro loquatur, suo ipsius judicio relinquimus, scientes, sani capitis esse neminem, qui bonum evidentissimum ullo maledicti opprobrio fuscari nitatur. Honestum enim et utile nostrae reipublicae fuit omne, quod fecit. Factis vero suis hunc finem nequaquam constituit, ut non nisi per hominum ora favorem captando volarent: sed ita vixit, ita opera sua coram hominibus temperavit, ut pessimis horrore, bonis esset honori. His aperte cunctis innotuit, quod in episcopatu bonum opus desideravit, in quo nec ab invidis et æmulis suis facile potuit reprehendi, nisi hoc ipsum in laude ejus magis proficeret, quod talibus displiceret. Hac igitur mirifica occupatione detentus pervigil summi patris

A. ROTGERO.

strenueque simul, ut dicitur seu gubernator

cum summo reipublicae bono res Lotharingiae,

A. ROTUNDO. patris familias operator et summus præsul, lucernam ardentem, boni videlicet operis exemplar, in manibus ferens, ad ea, quæ Dei sunt, alios volentes duxit, alios nolentes traxit. Sed inter hæc humani generis antiqua pestis non cessavit invidiæ suæ virus per opera pii doctoris, jam in bona spe germinantia, longe lateque dispergere.

88 Nam cum primum Lotharici regni populus, multimoda magni hujus Viri exhortatione vix tandem inductus, blandimenta pacis valde sibi insueta temptaret, et iis, qui sola civili dissensione tutum sibi aliquid pollicebantur, assensum in sui perniciem ex parte plurima prebere respueret, sæva Ungrorum gens, et qualem nunquam terra nostra sensit barbariem, a peruersis illecta civibus, transitis Germaniæ et plerisque provinciis Galliæ, cui jam olim nobilis Francorum populus insedit, omnia ferro et ignibus vastatura se totam infudit h. In hac acie Cuno, qui prius dux erat egregius, cum suis sequacibus militavit: utrum ad hoc, ut odio suo, quod in virum Dei Brunonem, bonis certe mansuetissimum, conceperat, hac feda crudelitate satisfaceret, an ut, quibus posset, in tanto periculo subveniret, incertum: sed illud prius, latius opinione disseminatum est. Nam et ante contra eum dura quæque fraudulenter, quia vires defecerant, tentavit, ita ut Metim urbem opulentissimam dolo invaderet i, ipsi Coloniæ et ceteris regni munitionibus suspectum se faceret, probra jactaret, minas effunderet. Et postea aliquantum temporis in hac eadem, qua dudum erat, immanitate permansit: nichil reliquit intemptatum, quo fedus in populo nostro per sapientiam ductoris sui pactum dissolvere se posse putaret.

39 Homo nanque erat paulo ante summaque fortuna, summaque potentia, sed ignatus, quo modo secundis rebus uti conveniret. Has quoniam, postquam abusus est, perdidit, in bonos ultra modum impatiens seviit, sed a nefariis suis conatibus semper ita, Deo dispensante, repulsus est, ut hoc eum non leviter peniteret, quod magnum facinus tanta levitate aggressus est k. Pepercit autem in omnibus Sacerdoti suo et pio Provisoris populi sui misericors et miserator Dominus, et ita omnia ordinavit, ut absque bello et humana pernicie maxima sæpe pericula sedarentur. Inter quæ frequenter ipse interitus aut secum intentus legit, aut de maximis quibusque rebus, quasi curarum instantium nescius, disputavit. Hoc apud Treverim, hoc in Alisatio gentibus et populis innotuit, quanta constantia et securitate animi sui, inconstantes et temerarios adversariorum motus redarguit, cum eos, qui in alienis se fortissimos jactabant, in propriis tam imbecilles esse monstrabat l. Et revera quos nulla unquam acies, nulla infelix m asperitas, hos hujus Viri pietas imbelles et timidos faciebat. Consilio nanque et bonorum hominum multitudine, non sevitia, timendus fuit, et quod nemo hostium tam acriter vigilabat ad perniciem, quam ipse ad salutem. Fama autem et multitudinis judicio minimum motus est: suo sibi judicio judicio minimum motus est: suo sibi judicio usus est, et in quo recta probavit, non ut sibi, sed Deo placeret, optavit.

40 Itaque, ut paucis multa comprehendam, plura omittam: intus et foris, domi militiæque indefessus Domini Præliator animi plus, quam corporis viribus, tandiu contra pestilentes et

inquietos tantunque vitæ etiam suæ plerunque D periculo decertavit, ut nominis quoque ejus fama quousque pervenit, bella sedaret, pacem formaret, studium in omnibus bonis artibus firmaret, sanctæ religionis et salutiferæ quietis gratiam ampliaret. Quoniam igitur humillis iste philochristus et meliorum ardens emulatur charismatum servus Domini Bruno, secundum dignitatem sedis suæ, Romanæ quoque sedis et apostolicæ benedictionis privilegio debuit insigniri, et cum eis pariter, qui traditam a beato Petro apostolo sanam servare n doctrinam, Catholica fidei integritate in vera confessione et inviolabili veritate prædicationis uniri, synodicam suam epistolam o per Hadamarum, venerabilem monasterii Fuldensis abbatem p, Romam ad Agapetum, miræ sanctitatis Papam q, direxit r, in qua, cujus spiritus esset, et quia pastor ab ovibus electus, a Domino missus esset, innotuit s, appellatusque est ibi concors et concivis Apostolorum, princeps et propagator Domini præceptorum. Legatus inde cum magna mentis alacritate reversus pio Pastori, cui antehac gratia collatum est secundum prophetam oleum gaudii pro luctu t, tunc attulit pallium pro spiritu meroris.

41 Spiritus nanque Dei cordato homini, et sacramenti hujus magnificæ virtuti magis quam his quæ visibiliter gerebantur, intento divinitus inspiravit, ut erigeret cor suum in spem vel gaudium spirituale, ne tristaretur in eo, quem sensit imminere, labore. Cor enim, quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscbitur extraneus. Sapientiæ hæc verba sunt u. Legatus ergo, ut loqui cœpimus, Roma rediens, bonum nuncium Coloniæ ferre acceleravit, portans sacrum habitum, ab universali Pontifice missum x, prætendentem jugum Domini suave, et onus ejus leve, et ipsum, quod sub eo dispensatur, humile ministerium, quod verba Domini testantur, dicentis: Qui major est vestrum, erit minister vester, ferens simul reliquias de proprio corpore S. Pantaleonis martyris y, et privilegium, Apostolicæ sublimitatis auctoritate traditum, quod et eodem pallio præter consuetudinem sacerdos Domini, quotiens vellet, indui permissus z, et concessis omnibus, quæ petebantur, ipse præ magnitudine virtutis et sapientiæ in participatum ejus operis, et prope in concessum tantæ dignitatis admissus est. Properavit in occursum ejus leta civitas, undique jubilans accurrit multitudo, convenerunt in suburbio prope antiquum locum, ubi ecclesia ejusdem preciosi martyris erat inculta adhuc et ruinæ proxima. Ibi deposita sunt grata onera, deinde suo quæque loco reposita.

42 Monet me hic aliquantulum immorari festivus ille, qui postea in brevi pro dolor factus est funerosus, ejusdem loci occursum. Ibi venerabilis iste amictus primo, ibi postremo, semel leto, semel lugubri carmine susceptus est Corpus enim religiosi et Deo digni sacerdotis ibidem sepeliendum, officii sui insignia non amisit aa, quæ tamen spiritaliter, et ideo feliciter, ut credimus, anima secum vexit. Archano itaque Dei omnipotentis consilio provisum est, ut idem locus ad declaranda sancti martyris merita, prima hac occasione illustraretur, et talis fieret, ubi vir iste Domini pacificus et mirabiliter humilis, potissimum eligeret sub ejusdem pii martyris patrocinio tremendi

in quam interea Hungari, Gallis vastatur, irrum-pant.

administrans, sæpe, periculis contemptis, sola pietate, quos nulla vis frangere poterat, compeccit:

electionis suæ Agapetum Papam certiores reddidit,

D  
n  
o  
p  
q  
r  
s  
t  
E  
pallium abs hoc per legatum suum accipit, allatisque sibi simul per hunc S. Pantaleonis reliquiis,  
u  
x  
y  
z  
F  
hand multo post monasterium, Sancti hujus nomine insignitum, condit,  
aa

**A** mendi iudicii diem, et futura resurrectionis gloriam exanimis prestolari *bb*, et ab urbana inquietudinis molestia remotiori, fratres in laude divina pervigiles et sollicitos, sub monasticæ regula disciplinæ, Domino servire instituit *cc*: quibus abbatem præposuit, nomine Christianum, suæ videlicet professionis foronomum, et in lege Domini, sicut hunc decuit ordinem, adprime eruditum. Cui ordinato hoc breve commonitorium de Occidentis partibus scripsit: Ut sis, quod vocaris, cura, gentilitati ne degeneres. Id serio triumphas, ut non, sicut prius, antiquetur, sed de virtute in virtutem ut eatur, nava.

*religioni et lectioni totum se dedit, luxum et voluptates odio habet,*

43 Nunquam ita civilium negotiorum occupatione detentus est (ad quam eum non sua libido, sed populi necessitudo attraxit) ut animo illo ad omnia vivacissimo non vigeret, intentus religioni præcipue et lectioni, in cuius studio mori videbatur. Ad id agendum exemplo suo et crebro monitu accendit omnes pene, quos

**B** præ oculis habuit. His vero, qui hoc ita non amabant, vehementer indoluit, eosque, licet alias familiares essent, a secreto tamen et amico meroris loco, ubi se sibi licentius, et ideo diligentius, solebat explicare, removit. Pectus cordati viri pertæsum fuit regiffici luxus, et consuetæ, hoc præsertim tempore, potentibus jocorum et voluptatum illecebræ. Unde si quando suis coactus quodammodo reddidit, quod non debuit, excessum hunc modicum fletu plerunque largiore detersit. Vitam præsentem et dulcem metuit, et amarum expertus est: de vita vero, omnis sollicitudinis et languoris ignara, haud dubium, quin ante omnia plurimum cogitaverit, qui de ea tam luculenter multotiens et cum familiaribus, et coram plebe sibi commissa disseruit.

*pius ac Dei amorem spirantibus affectibus frequenter indulget,*

44 Juvenis ut erat omnique pompa circumfluus, audeo dicere, dissolvi vellet, tantum ut cum Christo esset. Hinc lacrimæ assiduæ, suspiria fere continua, furtivæ orationes et singultus, in ipso etiam lecto clarius perstreptentes, ut testantur, quos id minus celare poterat, etiam dum latere volebat. Quotiens diem mortis posuit ante conspectum cordis? Quotiens ad hoc vocis quoque officio prorupit, quod corde molitus est? Quotiens audivimus eum vehementi gemitu præoptasse id, quod futurum, non tamen sine gravi trepidatione, speravit, ut æstuosum mundi hujus naufragium, in Dei sola misericordia tutus, evasisset, et in litore tandem securitatis intimæ constitisset *dd*? Elapsurus quodammodo putabatur, ut quasi mortem aufugeret totum, quod ei in hujus mundi deliciis blandiebatur. Testes supersunt conversationis ejus quam plurimi: quotiens eum in secretis corde contrito et spiritu humiliato persenserant, mirari plus poterant, quam imitari.

*dd*

*inter epulas etiam abstemius omnibus bonum exemplum, inanem interim gloriam fugiens, se præbet,*

45 Nam ille popularis, plerunque quasi solitarius vixit. Mirum dictu: inter convivas lætissimos lætior ipse frequenter abstinuit. Molles et delicatas vestes, in quibus nutritus et ad hominem usque perductus est, etiam in domibus regum multotiens declinavit. Inter purpuratos ministros et milites *ee* suos, auroque nitidos, vilem ipse tunicam et rusticanas ovium pelles induxit. Lectuli delicias vehementer aspernatus est. In balneis cum lavantibus cutisque nitorem querentibus vix aliquando lotus

est. Quod eo magis mirum est, quia ab ipsis cunabulis ejusmodi mundiciis et pompa regia educatus est. Hæc autem pro tempore et loco, modo palam, modo secretius egit, ut et laudem humanam subterfugeret, et tamen subditis exemplum hoc agendo præberet. Multi enim verbis, plus exemplis proficiunt plerique. Apud mites et humiles nemo humilior, contra improbos et elatos nemo vehementior fuit. Hunc terrorem, qui beneficio obligari non potuit, indigena æque et alienigena formidavit, et recto convenientissimoque ordine omnis, ad quem magnitudinis ejus fama pervenit, primo eum timere, postea consuevit amare.

*A. ROTCHENO.*

46 Sanctorum corpora atque reliquias et quælibet monumenta, ut suis patrocina cumulare, et per multos populos ultra citraque hæc celebritate gloriam Domini propagaret, undecumque collegit; iis loca et ministeria omni sumptu et apparatu copiosius preparavit *ff*. De quibus singulis plura essent dicenda, si paterentur promissa compendia. Indicia sunt hæc

**E**

invictæ fidei, quia non sua, sed quæ sunt Jesu Christi, quæsivit. Baculum et catenam sancti Petri qua diligentia, quo fervore, quo gaudio Coloniam, alterum Metti, alteram Roma adduxerit, omnes noverunt; in cuius honore domum ejus honoratissimam mirabiliter ampliavit, quam de pulchra pulcherrimam fecit *gg*. Inclitos et præclaræ famæ martyres Patroclum, Elisium, Privatam et Gregorium, quorum gesta sunt permagnifica, merita gloriosa, patrocina tuta; Christofori sanctique Pantaleonis, ut jam dictum est, pretiosas reliquias, quibus se patronis specialius delegavit, utputa gemmas gratissimas et dulcissimas pignora ad sanctissimam suæ ecclesiæ sedem miro ambitu variis de locis attraxit *hh*. De translatione beati Evergisili tertii ejusdem sedis archiepiscopi quid factum sit hujus pii Provisoris dispensatione *ii*, plurimis notum est; quem in ecclesia beatæ Cecilie virginis cum hymnis et divinæ laudis celebratione repositum plebs religiosa ita veneratur et colit, ut præsentem crederes beneficiis largioribus cotidiana obsequia **F** mutuari.

*ff*

*hh*

*ii*

47 Cætera, quæ tam brevi tempore suæ ecclesiæ filiis oblectamenta contulit, et dona salutis, pensari nequeunt, æstimari non possunt, quæ ex omnibus pene mundi plagis et terminis religioso affectu et animo congregavit, quasi conjiciens, quod futurum erat, ut pro brevitate dierum suorum, gregi sibi commisso dona perennia confirmaret. Quo tamen studio id curavit potissimum, ut et illis, unde abducta sunt, desiderium, et iis, quo adducta sunt, amplificaretur gaudium: quatenus utrique bono odore Christi, qui est in martyribus, immo quod ipsi sunt, licet diversi affectibus provocati, et illi vivacius appeterent, quod negligebant: et isti perpetuo venerarentur, quod ad se translatum esse gaudebant. Nam qui nescit bonum amare, quod habet, si ablatum ab illo fuerit, discet fortasse bonum amare, quo caret: et habebit illud, dum aberit, fructuosius in memoria, quod sibi inutiliter habuit in præsentia. Impletum est hoc modo Evangelicum illud, quo dicitur: omni habenti dabitur, et abundabit: ei autem, qui non habet, et quod habet, auferetur ab eo *kk*.

*simulque ut lux abs illis, ad quos deveniunt, denti honorentur, curat.*

*kk*

ANNOTATA.

A ROTGERO.

## ANNOTATA.

a Ante undecimam scilicet, quæ Sancti electionem, anno 953 circa Julii initium factam, proximè excepit, Octobris diem, uti in Commentario prævio num. 75 luculenter ostendi. Opponi quidem ibidem hunc in finem allegatis potest, Brunonem Coloniam Agrippinæ, quo sese Aquisgrano contulerat, ordinatum fuisse episcopum, et tamen apud Marteneum tom. 2 Veterum Scriptorum exstare chartam, abs illo in posteriori isthac civitate anno 953 die Octobris ultima concessam; verum quid ni factum esse queat, ut Sanctus, qui Coloniam, ut ibidem ordinaretur episcopus, Aquisgrano sese contulerat, eo vel statim atque paulo ante xi Octobris diem ordinatus fuisset, vel certe haud dudum post, ita Lotharingiæ, quam gubernandam acceperat, exigente rerum statu, fuerit reversus?

b Exodi 28, §. 35.

B c Surius legit: Timeo,.... ne, sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri et excidant a simplicitate, quæ est in Christo; cum autem hæc ipsa etiam verba, nullo penitus vel dempto vel addito, epist. 2 ad Corinth., cap. xi, §. 3 apud Apostolum, quem Rotgerus hic citat, occurrant, Suriana lectio præstat certe nostra, etsi interim, cum Leibnitiana huic consonet, Rotgeriana forsitan non sit.

d Apud Surium et Leibnitium hic additur: Unicuique sibi congruum imperaret opus.

e De pace, Ottonem inter et filium ejus Ludolphum sub anni 954 finem composita, a Rotgero hic ferri sermonem, Pagius in Criticis ad annum 953, num. 4 existimat; verum haud recte, uti in Comm. prævio num. 77 et seq. ostendi.

f Apud Surium et Leibnitium melius siquis, cumque, quo sensus sit perfectus, vocabulum istud omnino requiratur, librarii tantummodo oscitantia, ut sola prior ejus syllaba in codice nostro hic legatur, verosimillime est factum.

g Quæ de Samuèle et Danièle hic dicuntur, C e Suriana editione sunt excerpta; etsi autem, cum et ab editione Leibnitiana absint, Rotgeri verosimiliter non sint, haud propterea tamen, quæ pro Brunone, quod potestatem politicam cum sacra conjunxerit, excusando in Comment. præv. num. 64 et seq. adducuntur, vim suam amittunt, cum equidem, si non Rotgerus, is saltem, qui hunc interpolavit, Witi-kindo, Brunonem Samuëlis exemplo excusanti, sit jungendus.

h Surius et Leibnitius, omissa, quæ hic Germaniæ vocabulo subditur, conjunctione et, positoque, quod in codice nostro omittitur, post vocem provinciis, commate, legunt: Sæva Ungrorum seu Hungarorum gens.... transitis Germaniæ plerisque provinciis, Galliæ,.... omnia ferro et ignibus vastatura, se totam infudit; verum Folcuinus, Laubiensis jam supra sæpissime laudatus abbas, qui, tam quæ de Hungarorum in Germaniam sub Henrico Aucupe irruptionibus, de regni sub hujus filio Ottone perturbatione, de Ludolphi et Cunonis seu Cononis in hunc conjuratione ac denique de Hungaris per hosce sollicitatis Rotgerus hic et supra, quam quæ infra num. 52 et seq. de pace Arnstedii,

Thuringiæ oppido, composita aliisque hanc D secutis sparsum scribit, in Abbatum Lobiensium Gestis cap. 25 conjunctim in compendium contracta iisdem fere, quibus id Rotgerus facit, verbis recenset, ibidem Rotgeri textum, in quem hæc observo, sic reddit: Sæva Hungrorum gens.... transitis Germaniæ et plerisque Galliæ provinciis.... omnia ferro et ignibus vastatura se totam infudit; cum autem Folcuini huic lectioni Surianam et Leibnitianam præferendam, et verborum sensus et rei veritas suadeant, fortassis Rotgeri exemplar, in quo eadem, qua in codice nostro, textus hic propositus ratione, perperam omisso, quod apud Surium et Leibnitium post vocem provinciis ponitur, commate, legebatur, Folcuino præluxerit, hincque hic scriptor, vocati isti non inepte posse, quod eadem in exemplari sibi prælucente, prout in codice nostro fit, sequebatur, Galliæ vocabulum præponi, seque id præponendo venustius locuturum ratus, modo jam assignato textum istum reddiderit. Est quidem, cur id, non a Folcuino, E sed a librario, qui Folcuinum post transcripsit, factum esse, haud immerito quis suspicetur; verum, utcumque res habeat, Folcuinum equidem, quæ in abbatum Laubiensium Gestis cap. mox cit. compendio iisdem fere, quibus a Rotgero memorantur, verbis recenset, ex Rotgero, non autem hunc illa e Folcuino hausisse, verosimiliter mihi vel ex eo apparet, quod, cum Folcuinus, anno demum 990, ut Historiæ Litterariæ Franciæ Scriptores tom. 6, pag. 453 docent, e visis sublatus, ultra annum, uti iisdem Scriptores ibidem pag. 455 affirmant, 974 abbatum Laubiensium Gesta sit prosecutus, hæc certe ante annum 975, ante quem verosimillime (Comment. prævium num. xi et seq. videsis) Sancti nostri Vitam Rotgerus scripsit, luce publica haud fuerint donata.

i Id Conradus seu Cuno, uti in Comment. prævio num. 74 docui, anno 953 sub Septembris initium, Moguntia obsidione jam soluta, fecerat.

k Facinoris istius Cunonem seu Conradum quantopere penituerit, liquet ex his, quæ infra num. 52 Rotgerus scribit.

l Brunonem quidquam memoratu sane dignum tam in Alsatia, quæ notissima est Rhe-no adjacens Galliarumque regi modo parens provincia, quam apud Treviros gessisse, Rotgerus hic indicat; cum autem nihil omnino, e quo quidnam id fuerit, vel utcumque queat colligi, adjungat, omnem operam, sed frustra, ut rem aliunde expiscari possem, impendi.

m Suriana et Leibnitiana editio: inflexit.

n Surius, ut sensus exigit, habet servavere; sed codici nostro consonat Leibnitius.

o Hac Bruno electionis suæ certiorum faciens Pontificem, ei simul fidei suæ, uti ex subsequentibus intelligitur, reddidit rationem.

p Ab anno nimirum 927 usque ad annum 956, ut Browerus in Antiquitatibus Fuldensibus pag. 284 et seq. docet.

q Romanam S. Petri Cathedralam hic occupavit ab anno 946 usque ad annum 955.

r Non anno demum 955, ut Pagius in Criticis contendit, sed, quemadmodum in Comm. prævio § vi ostendi, anno 953.

s Id est, significavit.

t Isaïæ 61, §. 3.

u Proverb. 14, §. 10.

x Pallium

A x Pallium, sacri habitus, a Pontifice missi, appellatione a Rotgero hic distinctum archiepiscopis que jurisdictionis sibi collatæ signum mitti a Pontifice Romano solitum, a Durando lib. 3 Ration. cap. 17, num. 3 et e scriptore isto apud Cangium in mediæ et infimæ Latinitatis Glossario describitur, de que sacra illa veste, summis Pontificibus, patriarchis, primatibus et metropolitanis propria, Dissertationem historicam Theodoricus Ruinartius, Operibus ejus posthumis, anno 1724 vulgatis, insertam, contexit.

y De sancto hoc martyre ad xxvii Julii diem actum apud nos jam est, polesque, quem ibidem Actis ejus præmisimus, Commentarius num. 43 et seqq. consuli, uti in Comment. prævio num. 118 jam monui.

z Ita sane Brunoni haud vulgare impertiebatur privilegium, cum archiepiscopis, pallio a Pontifice condecoratis, raro dumtaxat, ut eo, quotiescumque vellent, uterentur, legatur indultum.

B aa Archiepiscopi quippe cum pallio, dignitatis suæ insigni a Papa fuerant donati, erant sepeliendi.

bb Apud Surium et Leibnitium sequentia isthæc vocabula. Non multo post ibidem, ut puta in loco secretiori, inter verbum præstolari etc., quæ huic subditur, conjunctionem et interjecta reperiuntur, cumque omnino, ut sensus evadat perfectus, requirantur, dubitandum non est, quin librarii dumtaxat oscitantæ, ut a codice nostro absint, sit adscribendum.

cc Quandonam id Bruno fecerit in Comment. prævio, num. et seq. definit.

dd Familiarem etiam Brunoni exstitisse Rotgerum, partim ex hoc ejus textu in Comment. prævio num. 13 ostendi.

ee Nomen miles hic idem, quod vir nobilis, significat.

ff Quam verum id sit, unisquisque facile intelliget, qui Sancti Testamentum, vitæ ejus subdendum, evolverit.

gg Ecclesia S. Petri, de qua hic loquitur Rotgerus, hodieque est metropolitana electoralis Coloniensis.

C hh Unde et quandonam plerorumque Sanctorum, hic memoratorum, itemque SS. Evergisili et Odonis reliquias Sanctus noster Coloniæ transtulerit, in Comment. prævio § xviii exposui.

ii Quæ post hanc vocem hoc num. adhuc leguntur, apud Surium non exstant, sed eorum loco ponitur silentio non duximus suppressendum ac deinde sequitur proluxa SS. Evergisili et Patrocli translationis descriptio, hic a nobis ob ea, quæ in Comment. præv. num. 14 et duobus seqq. dicta sunt, ac præcipue quidem, quod a Brunonis Vita, codici nostro inserta, absit, omissa.

kk Matthæi 25. §. 29.

## CAPUT IV

Loca sacra condit et instaurat, gregem et rempublicam sedulo curat, nepotem suum Ludolphum cum patre in gratiam reducit, viros optimos adhibet in consilium, talesque etiam vacuis præficit ecclesiis.

Interea certatim multis in locis per parochias episcopi sui fidelis hic Domini Seruus et prudens ecclesias, monasteria et cetera ædificia a Domini Dei sui et honori Sanctorum ejus apta, quedam a fundamentis erexit, quedam prius fundata nobiliter auxit, quedam olim diruta reparavit b. In his singulis, qui Deo omnipotenti sub regula vitæ canonicæ deservirent, provida ingenii sui arte disposuit c: ac ne quid eis pro modo conversationis suæ deesset, liberaliter disponendo providit. Cujus operis et saluberrimi studii monumenta ære perennius in iis, ubi acta sunt, locis firmata perdurant, ita ut in laudem et gloriam Jesu Christi, memoriam tanti Viri nulla ætate obscuratum iri in perpetuum patiantur. Idem ad exteras nationes transfudit et in regno suæ providentiæ delegato, partim exemplo, partim opere proprio, partim varia personarum qualitate et crebra admonitione diffudit d. Non enim passus est suorum quenlibet aut incassum occupari, aut ocio torpere inertem: diffiniens, ut solebat loqui, ignavum pecus arcendum a præsepibus, et secundum Apostolum, ut qui non laborat, nec manducet e. Non possunt singillatim conscribi bona omnia, quæ fecit, quæ docuit, quæ amavit. Tantum semper materiei supererit id curantibus, ut ipsi profecto ante lassum cessaverint, quam id, quod moliantur, expleverint.

49 Jam vero in prædicatione verbi Dei, et insubtilitate disputationum de sinceritate scripturarum, qualis quantusque fuerit, ammirari possumus, diffinire non possumus: quæ tam copiose sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ea, quæ secundum pietatem est doctrina, profudit, ut plenum eum esse sapientia Dei, per quam omnia facta sunt, nemo hoc audiens et recte intelligens dubitaverit. Et ut nichil, quod divini cultus usui competeret, sagax eorum, quæ sunt Jesu Christi, scrutator intemptatum relinqueret, si quos aut in suorum ovillum septis, aut extra reperit, qui, singulari acie contra diabolum dimicaturi, solitariam vitam appetent, hos cum omni veneratione susceptos, suæ quoque exhortationis charitativa consolatione munitos, per diversas monasteriorum f cellulas, cum idoneo Ecclesiæ testimonio, et religioso, ut decebat, officio, alibi singulos, alibi binos inclusit: quibus tamen adinvicem, nisi sermone tantum et adspectu, nullus pateret accessus. His sumptus,

100 et



A. ROTENEO. et quaecumque humanae fragilitati necessaria videbantur, per fidelissimos suae administrationis vicarios sollicitè ministravit, et praecipue per Apostolorum festa, quotquot in anno occurrerent, singillatim eos donis congruentibus visitavit. Ita secundum perspicuam Apostolicæ normam doctrinæ, bona providere curavit, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus *g* : ut cujuscunque affectus sive conditionis homines, si Deum quererent, inter ejus discipulos aut probari possent, aut erudiri.

9  
contra aliquos, qui ejus hic memoratam in quibusdam h

50 De ancillis Dei, quæ in monasterio sanctæ Mariæ divinæ religioni fuerant deditæ, deque canonicis ad sancti Andree Apostoli ecclesiam *h* translatis, et, si qua erant hujusmodi, scrupulum quidem reliquit non modicum, sed iis, quibus mentis acies ita non viget, ut sinceram ejus intentionem in diversis operibus valeant perspicaciter intueri. Qui utique si adverterent, non homines propter locum, sed locum a Deo eligi propter homines et, quia obedientia Deo placet super sacrificium, scirent fortasse, oves vocem pastoris B audire debere, et magis idratum acceptumque Deo fore, quod per obedientiam, quam quod per propriam voluntatem sequuntur. Ubi autem zelus et contentio, ait Jacobus Apostolus, ibi inconstantia et omne opus pravum *i*. Similiter in eo, quod nefarios quosdam patriæ civiumque prædones de regno, ubi quieti et pacifici esse noluerunt, quasi pestem bonorum expulit, et exulare coegit, ipsis licet nescientibus profecto consuluit. Quo enim diuturnior nequam, eo graviores et prolixiores sibi comparabat poenam.

agendi rationem carpebant, propugnatur, k

51 Quando autem boni quiescerent, si malorum furori nemo resisteret *k*? Nimirum pepercit illis Deus, quibus hoc magna sua patientia et bonitate permisit, ut de pace et statu patriæ suæ absentes audirent, quod præsentibus nunquam videre vellent. Felices, si bona sua saltem in peregrinatione cognoverint, et patriam cupierint, de qua expelli non possint : ubi beati omnes pacifici, quoniam filii Dei sint vocati. Talis itaque per Dei omnipotentis gratiam vir iste fuit, ut nec odio, nec invidia ad persequendum eos, qui tales erant, ullo modo excitaretur : nec a miserendo aut parcendo miseris duritia aut crudelitate aliqua restringeretur : sed ut pastor sollicitus, et vere dux populi Dei, salutem omnium et utilitatem in omni quesivit negotio, et quos ipse in via Dei duxit et docuit, ne a perversis seducerentur, et in errorem mitterentur, strenue decertavit. Tantum autem aberat a sevitia, ut pro iis etiam, quibus amarum aliquid pro qualitate factorum necessario inferebat, ipse frequenter amare fletet : ita gaudere cum gaudentibus, cum flentibus flere consuevit. Nam et qui hoc dixit, quendam satanæ in interitum carnis tradere jussit, ut spiritus in die Domini salvus esse possit.

paci, Arnstedii compositis, فرماندے ادلہ برارے، dumque in Bavariam iterum Hungari, l

52 Igitur cum jam prope esset summa dies et ineluctabile tempus, quo Deus omnipotens, propitius terræ populi sui, ultus sanguinem servorum suorum, vindictam retribueret in hostes eorum : etenim *l* est ultra modum et omnino intolerabiliter superbia ferocissimæ gentis Ungrorum, seducta (credo) superioris anni *m* successu. Siquidem, ut veracissime dictum est, ante ruinam exaltatur cor *n* : ibi ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem. Prævenit hanc pressuram imminentem Eccle-

sie, pax in palatio regali, quod in Arnstat habitum fuit, ex integro conducta *o*, et ex magna jam parte per imperatoris nostri fratrumque ejus sapientiam confirmata. Et revera tribus et linguis innotuit, quia Deus dissensionis non est, sed pacis *p* : tantum hujus initio operatus est salutem populo suo. Imperatoris quidem spiritus agitabatur in ipso, quia non erat ei tempus exercitum congregandi : sed fiduciam habuit per Christum ad Deum, qui potens est salvare in paucis, sicut in multis *q*. Aderat ibi Cuno, non jam dux, sed miles, toto, ut putabatur, animo conversus ad pacem, quam paulo ante atrociter impugnabat, cilicio membra domans, Deum gemitibus, ut fertur, exorans, ut si sic ejus sancta voluntas existeret, permessa regi nostro et exercitui ejus victoria, eum ab impiis, quibus se prius conjunxerat, permitteret trucidari, ut possit in perpetuum ab eorum consortio liberari.

53 Imperator indici sanxit jejunium ipsa, quæ tunc erat, in vigilia sancti Laurentii martyris, per cujus interventum sibi populoque suo ipsum Deum poposcit esse refugium. Propositum suscepti operis negat obedire bellum, primo sanctæ festivitatis diluculo susceptum, vixdum vespertino crepusculo, Deo misericorditer dispensante et pro suis pugnante, satis feliciter peractum, miserandum post victoriam Canonis interitum, gloriosissimum imperatoris triumphum, regem ipsum barbarorum, duces et principes captivos, trophæa per totam regni ipsius latitudinem, usque ad ejusdem gentis fines frequentissima : quæ omnia proprii industriam operis, ad laudem et gloriam nominis Dei omnipotentis, expectant *r*. Nos, ut a quo paululum fleximus, ad propositum redeamus, quid interea plus archiepiscopus Bruno, totius semper perosus malitiæ, et indefatigatus justiciæ executor fecerit, disseramus.

contra quas Otto felicissimo eventu arma movet, E

54 Cum videret se ad præstitutum diem seniori et fratri suo magno imperatori cum auxiliaribus copiis non posse occurrere, simulque esset sollicitus, ne forte barbari bellum vitantes, in Galliam, suo juri commissam provinciam, declinarent, arbitratus sic se regno consulere votisque imperatoris sic amplius deservire, Ludolphum prolem regiam, nepotem suum, convenit, ægrum ejus animum blanditiis melle dulcoribus delinivit, statum pristinum, si quæ sua erant, accuratius vellet attendere, repromisit. A quo postquam medicinalia sermonum et exhortationum suarum antidota, non ut prius, obliquis ambagibus declinari, sed solito avidius prægustari et ad interiora pectoris recipi sensit, eum mox in episcopi sui locum venerabilem, Bonnam videlicet *s*, jucunde satis invitavit, jocundius suscepit, omni voluptate, utriusque digna et comoda, cunctisque, qui aderant, gratissima, non immemor regni dignitatis affectu. Qui dum adhuc simul essent, de his, quæ in expeditione bellica, imo divina virtute facta sunt, nuncios acceperunt. Institit nepotem patruus amplius consolari.

irrupunt, nepotem suum quo patriæ consulat, demulcere atque erigere conatur,

55 Factum est autem in brevi, instinctu hujus consilarii, ut filio suo, qui perierat et inventus est, imperator totam Italiam delegaret, et, quod majus fuit, paternam firmissime pietatem impenderet. Ubi dum maxime placuit populo viamque affectavit olympo, repente flos ille integerrimus et robor regni tutissimum,

cujus post a fratre, qui Coloniæ venit ibique contentum celebrat, Italiam committi curat,

tissimum e medio excessit *t*. Pater autem ejus imperator ac semper magnificus triumphator, post luctum consolatione recepta, cum fratre suo veterem necessitudinem nova consuetudine junxit. Coloniam venit. Ibi se non tam fraternis deliciis, quam mutuis cum illo aspectibus, affatibus et cunctis omnino jucundissimis usibus oblectavit. Nec defuit ibidem severa in improbos et importunos cives regni censura judicii, blanda item in bonos et mites piæ dominationis liberalitas. De statu regni rebusque ejus tutandis et dilatandis sedulo et strenue in commune consultum; ut de sancendis quibuslibet, aliis reseccandis cautissime ageretur, summo consilio provisum est *u*. Quæsitum interea summa diligentia pius pastor Bruno, veritatis assertor, Evangelii propagator, navos et industrios viros, qui rempublicam suo quisque loco, fide et viribus tuerentur, iis ut neque consilium, neque copiæ deessent, sedulo curavit.

**B** 56 Quotquot etiam de principibus et regionalibus primoribus, ceterisque, quorum dispositio regni intererat, saluberrimis suis ammonitionibus ad communis bonorum omnium utilitatis fedus fide plena consenserant, hos ipse inter summos et familiares habebat, eisdem imperatorem germanum suum apprimè conciliabat, pensans non temere a quodam sapienter dictum: "Bonus, ubi negligas, signior, aut malus fit improbius." Archiepiscopum Trevirensem Henricum, magni meriti et summae probitatis virum, qui Ruptero magnifico præsul, Coloniam in gravi pestilentia, cum et imperator ibidem esset, defuncto successit *x*, Wilhelmum quoque præclaræ et gratissimæ excellentiæ archimandritam, nepotem suum, Friderici Moguntini antistitis successorem *y*, ambos egregios, ambos in lege Domini perfecte instructos, imperatori alterum consanguinitate, alterum probitate, utrunque familiaritate conjunctissimos, ipse quoque inprimis summa veneratione colebat. Hos igitur tales tam illustres, tam certe sapientes et religiosos, et in omnibus bonis artibus eruditos viros ad consilium, ne forte ipse per se, ut sunt humana, a tramite veritatis usquam exorbitaret, frequenter adhibuit: hoc cum ipso simul non solum in lectione, consilio et disputatione, sed etiam in acie vidimus, providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus.

**C** 57 Erat nanque in Occidentalibus Lotharici regni finibus velut indomita barbaries, ea quæ videbatur Ecclesiæ proles, felicitati invidens alienæ, nec minus salutis suæ, despiciens paternæ blandimenta exhortationis, terrorem vix sentiens potestatis. Qui si juri suo permitterentur, suis perversi sibimetipsis pessimi viderentur. Ille vero ante omnia provido usus est moderamine discretionis, ut pro qualitate locorum et temporum, in prælatione pastorum ad sapientissimi imperatoris nostri imperium, Dominici gregis paci et tranquillitati consuleret: illos nimirum ceteris preferens, quibus nequaquam esset incognitum, quid pastoris esset officium, quid mercenarii esset vitium, quid in ministerio suscepto, quid in angaria aut agendum esset aut sperandum: alios, ut quasi cortinæ hyacinthinæ interiora domus Domini ornarent: alios, ut quasi saga ciliæna deforis violentiam tempestatum arcerent.

Libet meminisse quoddam hujus pii Patris piæ et laudabile factum, quod in ipsis sacerdotii sui primordiis ut pro luctu spirituque memoris in oppressorum cordibus excitaret spem salutis, effecisse cognoscitur: quanvis hoc ipsum ob inopiam recte dividendum, linguæ calumnianti fuit obnoxium. Quid enim non pervertit invidentia, qua nulla major videtur esse amentia?

58 Siquidem Ratherus Veronæ, quæ civitas est Italiæ, ordinatus præsul, cum ex quadam levi suspicione, ut mos est gentis illius, ab honore propriæ sedis esset expulsus, Leodiensi cathedræ vacanti magna ejus industria secundum statuta canonum incardinatus est *z*. Quod quidem propter abundantem doctrinam et eloquentiam copiosam, qua inter sapientissimos florere visus est, non eidem solum ecclesiæ, cui præfuit, sed et multis aliis circumquaque valde prosicuum fore putatum est. Simul quia in illis per zelum et contentionem, unde fieri solet inconstantia et omne opus præpravum, quidam etiam sacerdotes Domini ple-runque, quod dictu nefas est, terrenæ plus justo confisi potentia, populum imperitum scandalizabant: sæpe dictus sæpeque dicendus dominus Bruno, cui jam totius regni dispensandi cura imminabat, ratus id, quod verum fuit, hunc ejectionem antehac et neglectum, hoc tanto beneficio ad illud fidei et veritatis fedus adduci, ut a nemine posset seduci, ita demum os loquentium inimica obstruere posse credidit, si nulla occasio scandali posset in eorum Episcopo reperiri. Sed ad sui perniciem pars sinistra prævaluit, quicquid pro salute eorum gestum est, hoc sibi pestiferum aestimabant. Quid multa? Erratum est, sevitum est, nec cessatum est, donec expulsionem ejus crudelitati suæ et nequitia satisfacerent.

59 Ablata est omnis spes restitutionis ejus. Conspiratio enim gravissima facta est, quæ, nisi et hic penitus amoveretur, et eundem locum Baldricus, qui erat de magnatum terræ illius prosapia oriundus *aa*, subrogaretur, sedari non posse visa est. Ad hanc sentinam tempestates undique innumere confluerunt, navis Ecclesiæ, laborante remige, fluctuavit, gubernator ipse procellosa tempestatis impetum ferre non potuit. Cessit igitur, cessit, ne vinceretur a malo, sed vinceret in bono malum. Cessit adversantium voluntati, ut suo eos gladio jugularet sibi. Obstricti sunt Sacramentorum fide spontanei, ut, si accipere mererentur episcopum, quem petebant, invicta exinde firmitate auctoritatem Ecclesiæ et ejus imperatorum tuerentur *bb*. At ne quid in ejusmodi negotio imperfectum restaret, quod curiosis alienarum rerum investigationibus scrupulum commoveret, cum imperatore germano suo id effecit, ut Rathario episcopo, bis jam destituto, antiqua sedes Veronensis ecclesiæ redderetur *cc*. Multa sunt alia et prope infinita, quæ in brevi non in Lotharicorum tantummodo populo, quem ipse ex integro susceperat gubernandum, quem etiam, sicut in presentiarum cernitur, ex inculto et fero pacatum reddidit et mansuetum, sed etiam per totum regnum gloriosissimi imperatoris sui, in Dei rebus et salute totius populi, strenuissime operatus est. Erat enim eidem omnino communis cura cum seniore et germano suo, quorum uterque de altero merito gloriabatur in Domino.

60 Præterea

A. РОТЕНКО.

Leodiensem episcopum crari Ratherium ac e sede illa paulo post dejectum

z

E

F

bb

cc

sedi Veronensi e qua antea pulsus fuerat, restitui curat,

aa

A. ROTGERO.  
Lothario sororis sua filio optulatur, Normannorum etiam barbariem mitigare conatur.

60 Præterea Lotarium, sororis suæ filium, de antiqua regum prosapia ortum, cum a sobrinis suis vehementer esset oppressus, mirifice eruit et exaltavit, nec cessavit, donec in locum patris sui regem constituit, ac majores ipso potentioresque Hugonis filios omnesque illius regni principes sub jugum ejus stravit, ita prospiciens universis, ut, sub unius moderamine imperii omnes pariter et ab hostibus tuti et inter se invicem possent esse pacati dd. Imminet regno illi, quod reticendum non est, seva clades, Nortmannorum gens, quibus in piratico latrocinio non sunt alii exercitiores. His ex magna jam parte præda erat populus, dissensione et civili pernicie assuetus. Quod illis superfuera, inter se domestica seditione consumperant; egit autem provida dispensatio Rectoris nostri, qui, quoniam hominem se esse intellexit, humani nihil alienum a se putavit, egit, inquam, ut ad se, quasi ad tutissimum portum, confugerent omnes, qui quietem et pacem amarent; ipsorum etiam barbarorum immanitatem et intolerandam dudum ferociam mitigavit, siquidem eodem tempore et rex eorum Haroldus cum magna suæ multitudinis gentis Regi regum Christo colla submittere vanitatem respuit idolorum ee.

## ANNOTATA.

- a Surlus et Leibnitiis addunt servitio.  
b Quandonam, quod hic Rotgerus memorat, Sanctus noster fecerit seu potius facere inceperit, pronum est colligere ex iis, quæ in Commentario prævio § x, quo de monasteriis, abs illo tam in Lotharingia hujusve parte Hannonia, quam in diœcesi Coloniensi vel avctis vel instauratis vel denique a fundamento erectis, disserui, in medium adduci.  
c Vitæ canonicæ regulam, quam monasteriis, a se in diœcesi Coloniensi vel conditis vel instauratis, præscripsisse Brunonem, biographus ejus hic tradit, aliam haud existisse, quam quæ anno 816 a concilio Aquisgranensi canonicè victuris fuerat præscripta, probatum dant, quæ in Commentario prævio num. 148 et duobus seqq. adduci; iis autem confirmandis subservire potest Susatense a Sancto in diœcesi Coloniensi fundatum canonicorum collegium; hisce enim Aquisgranensem vitæ canonicæ regulam præscriptam fuisse, fas est colligere ex infra exhibendo Sancti Testamento, utpote in quo hic, fuisse illis in monasterio et claustrò, ut clerici, secundum regulæ Aquisgranensis statuta canonicè viventes, debebant, habitandum, prodat sequentibus hisce sub finem verbis: Monasterio et claustrò Sosatio fundando libræ centum, etc.  
d Monasteria pariter Sanctum in regno, curæ suæ commisso, seu Lotharingia partim per se, et partim per alios, quos eo crebris admonitionibus adducit, vel auxisse vel si essent seu Normannorum seu Hungarorum irruptionibus bellivæ intestinis diruta, instaurasse vel etiam a fundamentis exstruxisse, Rotgerus hic indicat. Monasteriis illis seu locis sacris, de quibus juxta ac de regula, a Sancto eadem inhabitaturis præscripta, in Commentario prævio § x et seq. tractavi, accensenda merito etiam est collegiata Leodiensis S. Martini ecclesia; hanc enim frequenti impulsu summi et incomparabilis viri Domini Brunonis archiepi-

scopi sese fundasse, in jam supra sæpius laudata, quæ apud Marteneum Veterum Monumentorum Collect. ampliss. tom. 7 existat, anni 965 charta Euracrus, Leodiensis episcopus, affirmat, simul etiam ecclesiæ isti monasterium sese adjunxisse iisque qui id inhabitaturi essent, Aquisgranensem vitæ canonicæ regulam præscripsisse, non obscure prodens; ut hinc etiam, fuisse a Brunone monasteriis, quæ in Lotharingia vel ipsemet exstruit vel exstruenda curavit, non aliam, quam Aquisgranensem vitæ canonicæ regulam, præscriptam, non immerito possit argui.

e Epist. 2 ad Thessalon. cap. 3, v. 10.

f Sur. et Leibn. addit Et ecclesiarum.

g Ad Rom. 12, v. 17.

h Ecclesia, quam hic Rotgerus memorat, ad S. Mariæ monasterium, de quo mox fuit locutus, spectabat fueritque proinde ab eo haud multum remota; fuisse autem tam monasterium isthoc, quam ecclesiam illam seu templum S. Matthæi nomine aliquando etiam insignitum, Gelenius in Preciosa Hierotheica pag. 62 prodit, addens, templum modo S. Andræ nuncupari.

i Epist. Jacobi cap. 3, v. 16.

k Fuisse etiam, qui Brunoni, quod nefarios quosdam prædones in exsilium pepulisset, obtrectarint, ex hoc Rotgeri loco apparet; ex horum autem numero existisse opinor illos, qui, quemadmodum in Commentario prævio num. 133 vidimus, a Brunone, non ut reipublicæ et religioni consuleret, sed ut sororis suæ Gerbergæ commodis serviret, relegatum fuisse Raginarium, Montensium comitem, dicebant.

l Vox hæc e librarii dumtaxat errore in codice nostro videtur exarata. Certe ejus loco apud Surium et Leibnitiium itemque apud Folcwinum loco ad lit. h in Annotatis, cap. proxime prægresso subjectis, cit. legitur aggravata, ac porro sic, ut sensus habeatur perfectus, legendum apparet.

m 954 nempe, quo Hungari, e sedibus suis egressi, transitu plerisque Germaniæ provinciis, multisque Lotharingiæ et Galliæ locis, uti in Comment. prævio § vii vidimus, vastatis, per Italiam in patriam suam sunt reversi. P

n Proverb. 16, v. 18.

o Etsi Folcwinus, qui omnia etiam, hoc et seq. num. a Rotgero narrata, iisdem fere, quibus id ille facit, verbis adhibitis, loco iterum ad lit. h in Annotatis, capiti proxime prægresso subjectis, citato recenset, e Rotgero ista, uti ibidem indicavi, acceperit, hic tamen non in palatio regali, sed habet, et quidem, ut apparet, melius, in placito regali.

p Ad Cor. 1, cap. 14, §. 33.

q Lib. 1 Reg., cap. 14, §. 6 Non est Domino difficile salvare vel in multis vel in paucis.

r Prælium, a Rotgero hic memoratum, quo Hungari ingenti clade fuerunt prostrati, ad Licum fluvium haud procul a civitate Augustana x Augusti die ac proin ipsamet luce, ut Rotgerus hic memoriæ prodit, S. Laurentio sacra, anno 955 fuit commissum.

s Notissima hæc est ad Rhenum civitas, archiep. et electoris Coloniensis hodieque sedes. t Anno videlicet 957, ut Hepidannus aliique memoriæ produnt.

u Placitum ab Ottone Coloniæ celebratum Rotgerus

A *Rotgerus hic indicat, idque haud dubie aliud non est, quam quod ibidem anno 956 post Pascha Ottonem celebrasse, Frodoardus in Chronico prodit.*

x *Reginonis continuator ad annum 956 sic scribit: Ea tempestate gravis per omnes regni partes pestilentia grassabatur, quæ innumeram populi multitudinem passim extinxit. Ex qua Rotbertus, a Rotgero hic Rutpertus, ab aliis etiam Robertus, appellatus, archiepiscopus Trevirensis et Hadamarus abbas Fuldensis obierunt. Quibus Henricus in episcopatu et Hatto in abbacia successerunt.*

y *Frederico Moguntino archiepiscopo, sub anni 954 finem e vivis sublato suffectus omnium suffragio in conventu Arnstadiensis fuit Wilhelmus, vir plane egregius, Ottonis, non eo Editha regina, sed e matre Slavonica filius. Comment. prævium num. 89 consule.*

z *In Comment. prævio de Ratherio primum num. 33 et seq., deinde vero de ejus ad sedem Leodiensem promotione num. 80 et binis seqq. tractavi, hancque anno 954, cui etiam a chronographo Saxone innectitur, accidisse probant, quæ ibidem adduci; etsi autem, quin canonicè ad sedem illam promotus fuerit Ratherius, dubitandum haud videatur, Rotgerus tamen, dum eum e sede Veronensi ob levem dumtaxat suspicionem fuisse expulsum, hic scribit, rationem, ob quam factum id fuerit, sese haud sat habuisse exploratam, prodit. Ratherius enim, ut Luitprandus lib. 3 Hist. cap. 14 tradit, Verona Papiam seu Ticinum, quod Bajoarios in Italiam evocasset, in exilium fuerat, anno, ut chronographus Saxo docet, 938, ab Hugone rege conjectus, seque abs hoc Papie in quamdam turriculam fuisse non sine sua culpa retrusum, ipsemet in sua ad Joannem XII Papam epistola, apud Dacherium tom. 1 Spicil. edit. an. 1723, pag. 372 fatetur.*

aa *Avunculum ejus Sigebertus facit Reginarium, Montensium comitem, fuisseque nobilissimo loco natum, inter omnes convenit.*

bb *Omnia fere, quæ huc usque a num. 58 de Ratherio Rotgerus hic narrat, refert iterum, sed cap. 23, iisdem fere, quibus id ille facit, verbis Folcuinus, Lobiensis abbas. Idcirco, hicne e Rotgero, an contra e Folcuino*

c *Rotgerus, quæ scribit, depromperit, incertum esse, Mabillonius Sæc. v Benedictino pag. 481 pronuntiat; verum vide, quæ cap. 3 subjeci, Annotata ad lit. h.*

cc *Id, ut apparet, anno 963 aut seq. est factum.*

dd *Qui intelligenda sint, quæ hic de Lothario, Hugonisque Magni, Parisiensium comitis filius, Rotgerus scribit, in Comment. prævio num. 173 et seq. exposui.*

ee *Normannos horumque regum Haroldum, a Rotgero hic memoratos, de quibus in Comment. prævio § x nonnulla disserui, cum Normannis, quos cum principibus suis anno 957 baptizari curasse Brunonem, chronographus et annalista Saxo tradunt, non confundendos, ibidem ostendi; verum superest, ut, qui qualesse hi posteriores Normanni eastiterint, hic modo, quod ibidem non feci, paucis examinem. Luitprandus lib. 4 Hist., cap. 7 de tribus Henrici Aucupis filiis sermonem instituens sic scribit: Tertium... Brunonem nomine, quem pater Sanctus, quoniam Normanni*

Trajectensem destruxerant omnino ecclesiam ob ejusdem recuperationem voluit militare; verum, cum Bruno duodecimum ætatis suæ annum, moriente patre suo Henrico Aucupe, vix esset e supra dictis ingressus, voluisse hunc, quod in modo recitato Luitprandi textu traditur, verosimile non est, nec, ut Bruno contra Nortmannos, vivente ac volente patre, militasse credatur, permittunt, quæ Rotgerus supra num. 8 et duobus seqq. scribit; cum hæc autem sic habeant, in Luitprandi textum e librarii oscitantia errorem irrepsisse, vocabuloque Pater vocabulum Frater substituendum opinor itaque etiam hodie Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii existimasse videtur. Nulli quidem, Othonem voluisse, quod verbis supra huc transcriptis Luitprandus ait, scriptores antiqui abs hoc diversi memoriæ usquam produnt; verum omnia, quæ Otho gessit, litteris commendata non sunt, utque veritati tam quæ loco mox citi. Luitprandus, quam quæ, ut dictum, chronographus et annalista Saxo de Nortmannis, sacris undis, Brunone curante, ablutis, scribunt, intelligantur consona, videtur omnino exigi, ut Bruno, cum iterum, jam instaurata, quæ a Danis destructa fuerat. Ultrajectensi civitate, Haroldo rege cum Nortmannis suis ad fidem converso, Nortmanni alii, fortassis Norvegi, in regionem vicinam anno 957 irrupissent, arma in hosce, fratre Ottone volente, movisse ac eorundem, cum cedere fuissent coacti, numerum non parvum juxta ac magnates, ad fidem conversos, sacris undis ablu curasse credatur.

## CAPUT V.

Ottoni, in Italiam profecto, copias auxiliares mittit, inde redeunti obviam procedit, cum eo conventum et Pentecosten Colonia celebrat, Compendium, ut nepotes conciliet, profectus, Remis obit, Coloniamque delatus in S. Pantaleonis ecclesia sepelitur.

Erat imperatori filius adhuc tenellus delicatissima indolis et integerrime voluptatis a, obses pacis et gloria plebis; hunc archiepiscopis Patruo fratricque commendatum b ad custodiam regni Cisalpini reliquerat imperator, profecturus Romam et res totius Italiae ordinaturus cæsar ipse futurus, electum summo consensu ab omni populo regem esse constituit, unxeruntque Ottonem, æquivocum patris, Bruno archiepiscopus, Wilhelmus et Henricus ceterique sacerdotes Domini regem in Aquisgrani palatio c et exultavit maxima gratulatione populus dicens: vivat rex in æternum. Divisi sunt deinde ab alterutrum germani, par semper invictum; et imperatore Alpes Pœninas d transeunte, remansit citra spectatus, atque incredibili

A. ROTGERO.

Ottoni, in Italiam post commendatum ei filium profecto, copias auxiliares mittit,

a

b

c

d

A. ROTGERO.

credibili pietate utroque desideratus, pius pastor et archiepiscopus Bruno. Non longe post domino et fratri suo, quia ipsum per se ire non licuit, auxiliares copias non levem armaturam de Lotariorum populo misit. Iis præfuit Godofridus Dux, quem ipse nutritiv, vir sapiens et religiosus, amantissimus pacis, observantissimus æquitatis, imperatori per id tempus ad votum serviens, omnibus placens e. Hic eodem tempore febre correptus, in magnam spem futura quietis expiravit. De cujus innocentia quodammodo securus, quasi testis et conscius vitæ ejus pius pater Bruno, cum de pecunia dispensanda ageretur pro remedio animæ illius, non valde illum talibus indigere asseruit.

redeunti inde obviam procedit, Pentecosteque cum eo Colonia celebrata.

f

B leges, cum concordia populi, regis et principum auctoritatem reductam estimavit. Cujus consiliis omnibus, cum ipse nihil aliud dies ac noctes, nisi de salute populi cogitaret, interfuit, et inter primos excelluit. Hic eidem gravissimus auctor ad constituendam, fidelissimus socius ad comparandam, fortissimus adjutor ad rempublicam perficiendam fuit. Igitur cum in sanctissimo studio imperator tricesimum regni sui, Germanus ejus duodecimum pontificatus sui ageret annum, nondum nisi vix prælapsus ætatis quadragesimum, sanctam Pentecosten simul Colonia celebrantes, qua major mortalibus gloria concessa non est, sese invicem inter sancta solennium dierum Officia, una cum diva matre, sorore regina, nepotibus, filiisque regibus totaque illa Deo dilecta familia et cunctis regni senatoribus adfuerunt g.

g Compendium, ut nepotes suos in concordiam adducat, proficiscitur.

C

63 Constat enim, nullam aliquando locum tanta celebritate, tanto splendore omnium generis hominum, ætatum, ordinum floruisse. Hanc itaque gloriosissimi Cæsaris Augusti, et germani ejus, summi et incomparabilis viri Brunonis archiepiscopi, fidam Deoque placitam in omni voluntate et opere conjunctionem, hanc conspirationem in omni utilitate et honestate administranda et bene gerenda, hanc jocundissimam vitæ officiorumque omnium societatem, mors seva, mors horrenda, mors, inquam, sola diremit. Et revera quanvis nihil atrocius videretur, nihil tamen esse potuit, quod eam innocentius diremisset. Ergo cum summus antistes Bruno senioris et fratris sui, Orientem versus entis h, contubernia, ruens prius in oscula et flens largiter, liquisset, pacataque omnia et quieta intra metas regni sibi creditas, agens Deo gratias, aspexisset, iterum iterumque suos omnes, clerum populumque, quæ agenda fuissent, ammonuit, et mox in Occidente Compendium i adiiit, ut ibidem nepotes suos ab invicem dissidentes ad concordiam revocaret, in fide et gratia stabiliret ecclesiæ Religionem, regi honorem et, quæ sua essent, dictante æquitatis ratione, annuente Domino, singulis confirmaret.

i

64 Eo intentus negotio infirmari cœpit et Remensium civitate gravi corporis molestia detentus quinto demum die postquam invasit ægritudo eum prevenit k. Quibus die-

k

bus in itinere non minus, quam in hospitio, lectione assidua, nullo pene alio cibo refocillatus est. Interrogatus autem familiariter ab episcopo Wicfrido, ut ipse testis est, cujus morbi gravedine urgeretur, non morbum, sed dissolutionem sui corporis esse, respondit. Episcopus itaque supradictæ metropolis l dignissime eum recepit, humanissime tractavit. Et in festivitate quidem, quæ tunc inerat sancti Remigii m, levius aliquantulum habuit, ita ut clientulis ejus et sociis spes esset recuperandæ salutis ejus. Ipse autem vocatis episcopis, qui simul cum eo venerant, Theodorico et Wigfrido n, postulavit ut testamenti sui faciendi copiam ei facerent, et adjutorium ei adhiberent. Quod cum perdolenter et lachrymabiliter valde excusarent, valetudinem optatam in brevi pollicentes futuram, ille animi industria, qua semper viguit, e contra renisus: dum tempus est, inquit, hoc fiat: multa nobis alia post hæc restant agenda.

infirmatur, morbiq; molestia Remis detentus,

l

m

n

65 Ingravata est deinde infirmitas et invaluit: jamque anhelitus, intercluso faucium meatu, vitalium lassitudinem premonstravit. Tunc vocato notario, coram memoratis testibus testamentum suum ipse dictavit: res omnes, quas habuit, a sese, dum adhuc in bona spe viveret, abalienavit, dispersit, dedit pauperibus: quodque ordinandis exterioribus ecclesiarum Dei ædificiis concessit, in brevi secundum collatam sibi sapientiam, facta et corroborata cautione sua, congrue et professione sua digne divisit. Hoc qui legere ipse querit, inferius scriptum in promptu habebit o. Ingenium, quod mundo corde et jugi exercitatione politum dono Dei reddidit et illustre, illum, ut liquido apparet in ejus verbis, non defecerat in extremis p. Post hæc pauper Christi, collecta animi virtute, iterum semotim episcopos advocavit. Quibus assidentibus, et interioribus factis, hæc verba, gemitu exuberante et fletu inundante, profudit: Tria mihi videntur genera esse confessionis, quibus se cor hominis Domino Deo suo, scrutatori cordium, patefacit: non ut ipsi, qui nichil non novit q, veracius semetipsum agnoscat, et aut Deum in benefactis laudet, aut se in malefactis accuset.

ibidem, condito testamento confessioneque, de ejus generibus

o

p

q

66 Hoc cum semper fieri debeat, (sic enim vigilare præcipimur, ne fur veniens nobis incautis dampnum illaturus irrepat) tunc pulsante Domino domus per infirmitatis molestiam, necesse est, ut mens se, quibus potest viribus, erigat: qua valeat intentione, judici suo appropinquanti assurgat, sopitis terrenis desideriis, spe ad superna flagret, bona perennia etsi non meruit, minime tamen desperet: sibi dissidat, in Domino confidat. Ecce, fratres dilecti, sicut cernitis, pulsatur janua pectoris mei: vocor ad reddendam rationem operis mei, si quid potestis, rogo, ferte præsidium, orationis vestræ porrigite manum. Incertus inter spem metumque feror, ut in neutram partem pronior inflectar, id vero entendum est. Sed, quæ sunt vires meæ? Misericordiæ remedium præstolor, in manu Creatoris mei sum, de me quod ipsi placet, ut fiat, expecto. Bonum est confiteri Domino: confessio et magnificentia opus ejus. Non enim aliquid boni, nisi ipso operante, fieri potest. Est autem quædam confessio, non peccata deplorans, misericordiam tamen implorans, de qua per Psalmistam

F nonnulla proloquitur,

A mistam ex persona Domini dicitur : sacrificium laudis honorificabit me *r*, et illic iter, quo ostendam illi salutare meum *s*. Hoc salutare, id est, Dominum Jesum, ore confiteor, et corde credo, quod Deus illum suscitavit a mortuis. Hic omnes thesauros sapientiae et scientiae absconditos agnosco.

67 Hunc Dominum Jesum nemo potest dicere, nisi in Spiritu Sancto. Ante illum est omne desiderium meum et gemitus meus ab eo non est absconditus. Dixi, confitebor adversum me injusticias meas Domino, quod est secundum genus confessionis, lamentabile in peccatis. Tertium, quod commendat beatus Jacobus Apostolus : Confitemini, inquit, alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini *t*. Hoc vobiscum, domini et fratres mei, agere volo, hoc anxie quaero. Spero autem, quod advocatum habemus apud patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Deinde postquam his se coram Domino totum effudit, Corporis et Sanguinis Domini Sacramentum, virtutis ejusdem Sacramenti, non inscius, expetivit. Quod cum fuisset allatum Vir ille Domini, quid animo senserit, corpore prostratus ostendit. Refectus autem hac vitali alimonia, spe validior, lectulo restitutus est, dies postquam non minus, quam quinque eodem corporis languore et spiritus fervore permansit.

68 Solenni vero die beatorum martyrum Geronis et sociorum eius *u* jam vertente, subito mentis excessu raptus, episcopis, ducibus, comitibus, et cunctis, qui aderant, luctum movit ingentem, quia dissolutionem optatissimi corporis instare putabant praesentem. Ille, ut solebat, paululum convalescens, tumultum manu sedabat, fletus et rugitus astantium mitigabat, majores et hoc affatu ultimo digniores ex nomine vocabat, nolite, inquit, fratres, hac mea sorte tristari. Divina animadversionis iudicio cunctis mortalibus imposita est ista conditio. Non licet nolle, quod Omnipotens sanxit inevitabile : tristibus istis in brevi leta succedunt. Illuc non absumpta vita, sed mutata in melius ; pergo, ubi viros longe plures et clariores, quam unquam viderim, cito videbo. Nec plura his locutus lectulo fessa mox membra reposuit. Consuetum paulo post, luce adhuc integra, vespertinae laudis Officium, nocte jam profunda Completorium ipse cum fratribus consummavit, Domino Deo suo Sanctorumque ejus precibus sese quasi mox iturum attentius commendavit, iter suum magno illo Viatico, sancto videlicet et unico redemptionis nostrae pignore, munivit, episcopos, seipsumque et eos, qui praesto erant, benedictione consignavit.

69 Ita tremendam dissolutionis suae horam animo intento ad Creatoris sui imperium expectavit. Exin *x* media nocte transacta, conversus nisu, quo poterat, ad episcopum Theodoricum, nepotem suum *y*. Domine, inquit, ora et mox inter psallentes Domino et orantes, nimiumque flentes, spiritum exhalavit *z*. Quod in illo non potuit mori, redditum est Creatori : Corpus autem ejus exanime, sicut ipse vivus praeeperat, eodem die, id est, quinto Idus Octobris, indefessi ejus comites levatum in feretro transferentes, nono *aa* postea die ad augustam sedis ejus metropolim Coloniam perve-

nerunt. Quorum adhuc nonnulli jurejurando et mirum in modum affirmando testantur, in illo longuo itinere nullam pene lassitudinem aut laboris molestiam se sub tanto onere pertulisse. Unde autem ibant, quocumque ibant, quascumque gentes, quascumque terras attingerant, omnes mirabiliter hujus, ut eorum verbis utur, digni Deo Viri merita in rempublicam, in imperatorem, in reges, in principes, in omnem populum eximia, qua quisque facultate poterat, estimabant.

70 Jam vero cum ejusmodi exequiae Coloniæ adventarent, et hoc per omnem regni Lotarici populum fama nimis odiosa dispergeret, ita dissoluti sunt omnes, praesertim sanctissimae sedis illius et Ecclesiae alumpni, quasi discessus tanti Pastoris et obitus ejusdem esset Ecclesiae funus. Nam secundum amplitudinem prioris consolationis, tunc invaluit vis et magnitudo doloris. Flebant omnes, plerique donec exsiccarentur in eis lachrymae : multi, congelatis membris attoniti, in tanta orbitatis hujus miseria semetipsos vivere oblitii sunt. Ante omnes luctu se lachrymisque, magis autem interno dolore cordis affectit, qui hunc Patrem patriæ praeter ceteris amavit, Folcmarus *bb* memorabilis probitatis et industriae diaconus, ac prudens fidelisque hujus sanctae Ecclesiae protus *cc* et oeconomus, quo nomine eum ipse pater, utputa vicarium suum, et sibi in omni negotio conjunctissimum *dd*, honorare consuevit. In quo solo tunc omnium desolatorum ora, oculi et animi versabantur : quorum certe omnium voluntate atque desiderio jam electus, licet nondum designatus, fuerat praesul. Huic pater pius absentis, quod eum nosset ex nomine, res suas omnes egenis et ecclesiis episcopii sui distribuendas, praescius (credo) futurae successione, summo studio delegavit *ee*.

71 Est prope muros civitatis ecclesia, structura quidem et opere humilis, sed Apostolorum nomine, in quorum veneratione consecrata perhibetur, insignis. In ea depositum Pastoris sui corpus exanime, sacerdotii velabant insignibus : quo paucis, nisi episcopis et quibusdam secundi ordinis sacerdotibus, patebat accessus. Inde mox elevatum, clerus et populus cantum plantumque permixtum ingeminantes, in ecclesiam beatissimi Petri Apostolorum *F* principis, ubi sedes erat venerabilis *ff*, detulerunt. Noctem illam celeberrime in vigiliis, et psalmodiis, vix refocillatis corporibus, insomnem duxerunt. Mane autem facto, convenit universa civitas, et eorum, qui de diversis provinciis et regnis subita fama exterriti advennerunt, innumerabilis multitudo. Aduit Trevirensis archiepiscopus et Leodiensis antistes *gg*. Processerunt in medium episcopi Theodoricus et Wicfridus, testes ultimae sanctionis ejus et legationis, quam filiis suis ibidem Deo militantibus misit.

72 Lectum est testamentum ejus in presbyterio venerabili ante altare sanctissimi Petri : recensita sunt et ea, quae pio quidem et sollicito in Dei rebus animo rogavit et jussit, sed scribendo non censuit : videlicet ut anno illo toto per singulos nunquam minus, quam libra integra, in usus pauperum erogari deberet *hh*. Deinde secundum postulationem et desiderium cordis ejus, quo flagrabat in extremis suis, suasum est clero sanctissimo, ut volenti

A. ROTEMANO.

delatus ac ibidem summo omnium luctu,

E

bb

cc

dd

ee

in suburbana SS. Apostolorum ecclesia tantisper depositus

ff

gg

postridie; lecto ejus testamento, in S. Pantalconis

hh

emissa ac saero Viatico percepto,

post habitam ad suos orationem nocte post S. Geronis festum

media transacta *x* vixit excedit, Coloniæ*y**z**aa*

A. ROTGERO. lenti animo corpus ejus transferri permetteret ad monasterium monachorum, quod in honore sanctorum martyrum Pantaleonis, Cosmæ et Damiani atque Quirini, extra urbis, muros non solum tunc construxit, sed adhuc usque consilio et providentia sua construit, et ordinare non cessat, gubernante Deo insignia bonæ voluntatis ejus per Sanctorum merita, quorum illuc et reliquias advexit ii, et patrocinia sibi religiosa et sedula supplicatione providit. Assenserunt promptissima voluntate omnes ad omnia, quæ imperavit: solum illud difficillime persuasum est, ut de summo sacratissimæ sedis ejus loco corpus abduceretur exanime.

uti id ferebat, ecclesia, XIX Octobris die fuit sepultus.

73 Lugebant quasi iterum destituti, non audentes post longam deliberationem, vel in hoc resistere ejus gloriosissimæ voluntati. Deductus est ergo Pastor ab ovibus, dici non potest, quibus lamentis et questibus, sepultus est in ecclesia beatorum martyrum quartodecimo Calendas Novembris. Ubi usque hodie perspicue monstratur, quantus fuerit in oculis honorum omnium. Quem posteaquam amiserunt, qualis fuerit, boni et mali lucidius agnoverunt. Frequentant locum sepulture ejus, certatim memorant, quid fecerit, quid docuerit, qualis vixerit, qualis obierit. Modo pro illo orant, modo, ut ipse pro se orare dignetur, rogant: signa non querunt, vitam attendunt, doctrinam recolunt, futurum in eo aut sibi aut posteris suis magnum aliquid pollicentur kk. Denique omnes ejus monumentis sicut olim per vivum, ita nunc per mortuum ad Dei laudem et gloriam excitantur.

## ANNOTATA.

- a Leibnitiana editio: voluntatis.  
 b Hinc simul et ex eo, quod Brunonem regi Cispalini vicarium Otto, in Italiam profecturus, creavit, fuisse abs hoc Ottonis Junioris tutorem tunc constitutum non tantum Wilhelmum ejus patrum, Moguntinum archiepiscopum, verum etiam Sanctum nostrum, concludendum apparet. Commentarium prævium § xv videsis.  
 C c Hæc anno 961, quo Otto, summo Pontifice aliisque invitantibus, in Italiam, corona imperiali ibidem condecorandus, se contulit, evenisse, in Commentario prævio num. 190 docui, ubi etiam, Henricum, qui unacum Brunone et Wilhelmo, Ottonis Junioris Patruo et fratre, unacum hunc in regem hic traditur, existitisse Trevirensis archiepiscopum, indicavi.  
 d Hæc, quæ a Leibnitio etiam Penninæ, a Surio vero et aliis penninæ vocantur, ab Occasu in Ortum, inter summum Penninum et Adulam montem, Gallice le mont de S. Gothard, sese, ut Baudrandus in Lexico Geographico docet, extendunt.  
 e Reginonis continuator ad annum 964, nonnulla de peste, quæ, dum Otto in Italia anno 961 et duobus seqq. versaretur, exercitum ejus invasit, præfatus, subjungit: Ex qua pestilentia obierunt Henricus, archiepiscopus Trevirensis, et Gerrius, abbas Wirtzburgensis, et Godefridus, dux Lothariensis. Godefridus, dux Lothariensis, quem e peste in Italia anno 964 obiisse, scriptor laudatus his verbis prodit, alius indubie non est,

quam dux Godefridus, quem auxiliariis copiis, e Lotharingia Ottoni, anno 961 in Italiam profecto, a Brunone missis, præfuisse febrigue correptum exspirasse, Rotgerus hic tradit; verum quis posterior is Godefridus, militumne Lothariensium dux seu præfectus, an Lotharingiæ gubernator? Apud Marteneum et Durandum tom. 2 Veterum Scripturum exstat Diploma, in Commentario prævio num. 176 jam citatum, estque, ut ibidem docui, cur Godefridus dux, qui Diplomati isti, quod anno 953 datum notatur, subscriptus reperitur, existitisse credatur Lotharingiæ gubernator; quare, si cum Godefrido isthoc unus atque idem sit Godefridus dux, a Rotgero hic laudatus, consecrarium erit, ut hic non modo Lothariensium copiarum præfectus seu dux, sed ipsiusmet, e qua hæc Ottoni submissæ erant in auxilium, regionis gubernator existiterit. Verum cum Godefridus, qui copiis Lothariensibus, post annum 960 in Italiam missis, præfuit, a Brunone, qui, anno demum 925 natus, anno 953 nondum certe ætatis suæ annum trigesimum attingerat, educatus, teste Rotgero, fuerit, is verosimillime anno isto existiterit adhuc junior, quam ut veluti Lotharingiæ gubernator præfalo, quod tunc datum fuit, diplomati subscripsisse credatur; cum autem sic habeat, a Godefrido, qui diplomati subscribitur, videtur distinguendus. Verum quid si hujus filius existiterit eique in Lotharingiæ regimen vel ante vel post annum 959, quo a Brunone Fredericum comitem Lothariensibus fuisse præfectum, Frodoardus in Chronico ad annum illum scribit, fuerit suffectus? Eo in casu, vel quod sub num. 162 vel quod sub num. 176 finem in Comm. prævio dictum est, evenisse, credibile evadet, dicendumque erit, si postremum habuerit locum, Frodoardum, etsi loco mox dicto, dum Fredericum a Brunone fuisse Lothariensibus præfectum ait, generatim loquatur, minime tamen officere, quo minus hic non toti Lotharingiæ, sed hujus dumtaxat parti præfectus a Brunone fuisse credatur. Porro sunt, qui, dum Godefridum, a Reginonis continuatore loco supra cit. memoratum, existitisse Lotharingiæ gubernatorem, contendunt, antea hunc existitisse Arduennæ comitem, in animum inducunt; ast nihil omnino, quo hæc eorum opinio solide probari queat, invenio. Neque vero quidquam, eo conducens, Mabilonius, qui Godefridum, a Reginonis continuatore memoratum, Lotharingiæ Inferioris seu Mosanæ ducem in Annalibus Benedictinis lib. 46, num. 81 appellat, usquam suppediat, etsi interim Godefridi, Arduensis comitis, consobrinum existitisse Fredericum, quem Lotharingiæ Superior seu Mosellanæ vice sua Bruno præfecit, jam cit. eorumdem Annalium lib., num. 23 aperte probat.  
 f Wormatiæ nimirum, cum annus 965 ad 2 Februarii diem dumtaxat adhuc esset proventus, ut Reginonis continuator ad annum istum docet.

g De magno placito seu conventu, quem ab Ottone, ex Italia reverso, Colonix Agrippinæ anno 965 celebratum fuisse, Frodoardus in Chronico prodit, sermonem hic fieri ex antecedentibus fit perspicuum; cum autem conventus ille de quo Commentarium prævium § xvi videsis, seu annus Christi 965 cum trigesimo

A *simo regni Ottonis anno in codice nostro hic conjungatur idemque tam in Suriana, quam in Leibnitiana editione fiat, id enimvero, ut dictus Christi annus cum dicto regni Ottoniani anno in Sancti nostri Vita hic conjungatur, non a scriptore, qui Rotgerum interpolavit, sed abs ipsomet hoc biographo nostro esse profectum huncque proinde regni Ottonis initium ab anno Christi non 937, sed, quemadmodum computanti patescet, 936 repetiisse, argumento est perquam valido, imo indubitato. Adhæc, fecisse id revera Rotgerum, trigesimus regni Ottoniani annus cum duodecimo episcopatus Brunonis anno abs illo hic conjunctus argumento pariter est, uti, quæ in Comment. prævio num. 27 et duobus seqq. adduci, evincunt.*

h *Otto in Orientem seu in Saxoniam Colonia Agrippina anno 965, cum magnum, de quo mox ad lit. g. conventum iuxta ac Pentecosten, quæ anno illo in XIV Maii diem incidit, ibidem celebrasset, ante XXVI Junii diem discessit, uti ex iis, quæ in Comment. prævio num. 220 dicit, nemo non eruet.*

B *1 Urbs est Gallix in insulæ Franciæ provincia, septem leucis Sybanecto, septemdecim vero Leutetia Parisiorum distans. Ita in Leucico geographico Baudrandus.*

k *Surius hic habet: Eo intentus negotio, infirmari cœpit, et sic in Rhemensium civitate gravi corporis molestia detentum, quinto demum die, postquam invasit, ægritudo eum prævenit; Leibnitius autem, easdem, quas hic Surius interpunctiones adhibens, præpositionem in, quæ vocabulum civitate hic afficit, omittit, participiique passivi præteritum, a verbo detineo formatum, quod accusativo casu Surius effert, in nominativo, non secus ac codex noster, ponit; verum sive prout in codice nostro, sive prout apud Leibnitium exstant, Rotgeri, de quibus hic, verba legantur, nemo facile, quid secundum se spectata significant, edixerit, nisi modice, uti in Comment. prævio num. 219 exposui, fuerint mutata. Adhæc ex iis, quæ de Sancti Compendium versus suscepto post conventum Coloniensem itinere, morboque et morte in civitate Remensi id seculis Rotgerus scribit, haud sat certo, an tum Sanctus, priusquam Compendium advenisset, an contra, postquam eo fuisset appulsus, infirmari cœperit ac obierit, potest intelligi; verum vide, quæ de hoc argumento in Comment. prævio num. 216 et quatuor seqq. disserui.*

C *1 Remensis nempe, cui tunc præerat Odalricus, comitis cujusdam, nomine Hugonis, filius, anno 964, ut Frodoardus in Chronico docet, Artaldo suffectus.*

m *Prima Octobris die colitur hic sanctus celeberrimus Remensis episcopus.*

n *Duo episcopi hic memorati, quorum prior Melensi, posterior Virdunensi ecclesiæ præerat, Coloniensi jam supra sæpius memorato anni 965 conventui interfuerant indeque cum Brunone Compendium erant profecti.*

o *Ita etiam Surii editio; etsi autem Sancti testamentum infra dandum, sic promittat, nusquam tamen in illa id exstat; verum Sancti nostri Vitæ tam in Leibnitiana hujus editione, quam in codice nostro subjicitur, huncque proinde sequentes non spernendum illud Octobris Tomus V.*

venerandæ antiquitatis monumentum e dicto codice nostro cum ejusdem per Leibnitium et Miræum, apud quem tom. 3 Diplomatum Belg. edit. anni 1734, pag. 295 et seq. exstat, editionibus collato Sancti nostri Vitæ, ut jam supra promisimus, pariter subdemus.

p *Enimvero verbis, quibus Sancti testamentum, tam prout in codice nostro exstat, quam prout haecenus fuit vulgatum, concipitur, spectatis, minime id, prout quisque, a quo fuerit perlectum, facile agnoscat, Sancto nostro fuisse ingenium jugi exercitatione admodum politum, argumento esse potest; verum antiquum istud, quo ultimam voluntatem suam declaravit Sanctus, instrumentum a librariis misere in ipsismet verbis deturpatum ac luxatum esse, vel solæ, quæ in omnibus ejus exemplaribus occurrunt, lectiones variantes suspicandi ansam præbent.*

q *Hoc loco sequentia isthæc verba lucidius innotescat, sed, ut ille, qui se parum novit, apud Surium et Leibnitium interseruntur, cumque, ut sensus sit præfectus, omnino requirantur, e sola indubie librarii oscitantia in codice nostro sunt ommissa.*

r *Quæ hic inter verbum honorificabit et voces a mortuis interponuntur, in codice nostro non exstant; sed cum manifestum sit ab oscitante librario esse ommissa, ea e Surio et Leibnitio supplevi.*

s *Psalmo 49, v. 23.*

t *Jacobi 5, v. 16.*

u *Coluntur hi die proxime prægresso, quo propterea in Opus nostrum jam sunt illati.*

x *Leibn. et in, sed codici nostro consonat Surius.*

y *Id est, ni vehementissime fallar, consobrinum. Ottonis enim consobrinum exstitisse, de quo hic sermo fit, Theodoricum, Metensem episcopum, Regnonis continuator ad annum 965 luculenter prodit, seque Brunonis consobrinum ipsemet Theodoricus in Charta, quæ in episcoporum Metensium Historia a Meurisseo pag. 326 integra recitatur, disertè facit.*

z *Quo Christi et quoto ætatis et episcopatus Brunonis anno, itemque quo die factum id sit, in Commentario prævio num. 221 et quatuor seqq. dilucide, ni fallar, ostendi.*

aa *Suriana et Leibnitiana editio habet octavo; perperam autem in codice nostro, in quo non secus atque in duabus hisce editionibus quinto Idus seu XI Octobris die obiisse Sanctus asseritur, signari nono, vel ex eo liquet, quod, quemadmodum et in ambabus illis editionibus et in ipsomet codice nostro traditur, Colonia Agrippinæ Sanctus XV Kal. Novembris seu XIX Octobris die, postquam eo pridie fuisset allatus, fuerit sepultus, idque, si nono demum, postquam obiisset, die Coloniæ fuerit adductus, verum esse haud queat, etsi etiam nono post mortem die, ipsamet, qua obiit, die adnumerata, statuatur eo allatus. Res computanti patescet.*

bb *Hic est ille ipse Folcmarus, cui Rotgerus supra in Prologo Sancti nostri Vitæ, a sese, proximo isto Brunonis in sedem Coloniensem successore id rogante, concinnatam, inscripsit.*

cc *Hæc vox, uti in mediæ et infimæ Latinitatis Glossario visum est Cangio, idem hic significat, quod primicerius, de cujus in ec-*



**A** **Rotgero.** *clesiis cathedralibus dignitate eundem Can-  
gium ad vocabulum istud videsis.*

*dd Brunoni exstitisse in omni negotio conjunctissimum Folcmarum, etiam prodit translationis S. Evergisili Historia, in Sancti nostri apud Surium cap. 27 Vitam ab interpolatore illata.*

*ee Folcmarum ergo constituerit Bruno testamenti sui executores.*

*ff Episcopalis nempe ecclesie Coloniensis cathedra.*

*gg Thiedericus nimirum seu Theodericus et Euracrus, quorum prior sub anni 965 initium in sedem Trevirensis Henrico, posterior anno circiter 960 in Leodiensem Balderico successerat.*

*hh Surius et Leibnitiis melius legunt: Ut anno illo toto per singulos dies numquam minus quam libra Denariorum integra etc.*

*ii Bruno itaque non tantum S. Pantaleonis, sed et aliorum Sanctorum reliquiis, S. Pantaleonis monasterium, de quo in Comment. præv. num. 118 et quatuor seqq. egimus, ditavit.*

**B** *kk Ita Brunonem, qui a nonnullis scriptoribus Magni etiam appellatione ob rerum gestarum magnitudinem condecoratur, non exiguum post se apud multos reliquisse probitatis ac sanctitatis famam, Rotgerus haud obscure prodit.*

## TESTAMENTUM

**E** *Codice nostro, olim Valli-  
cellensi, PMS. 159, cum  
Miræi et Leibnitii editionibus  
collato.*

**B**runo, servus Christi, filiis Coloniae Deo militantibus. Quæ in animum induxi, de rebus, quæ divina michi commisit Munificentia, dispensandis, vestro roborari iudicio, inniti testimonio *a*, si ipsum me presentem hæc Deus vobiscum communicare non siverit, dignissimum statui scripto ad vos perlato *b*.

**2** Eapropter ex sententia fratrum nostrorum Theoderici, Wicfridi *c*, qui et ipsi alumpni vestri sunt, cuncta consciscite, recte, Deo volente, cuncta transagite *\* d*, et *e* quicquid thesauri nostris opibus illati ecclesie, quicquid clavibus hujus Evizonis viri illustris Kimiliarchi *f* S. Petri custoditur, præter si quid a ministris nondum relatum sit, nequid ab ecclesia divisum esse videretur, sub testimonio Christi et Ecclesie ante altare S. Petri palam domno Poppone proto *g* et yconomo ecclesie nostræ congesta diligentique ratione inspecta vasa aurea et preciosiora quæque in ministerio sanctæ Dei Genitricis Mariæ et B. Petri Apostoli in ipsa ecclesia in perpetuo usu perpetuo consequentur.

**3** Cuppam *h* auream, sigillum *i* et scutalam Græcam *k*, quæ penes nos sunt, beato Pantaleoni. Candelabra præterea, qui in ministerio nostro sunt, cotidiana, equitem argenteum a Maguntiaco archiepiscopo datum, pallia decem optima, vasa decem argentea ex melioribus, li-

bras centum ad claustrum perficiendum *l*, trecentas ad Ecclesiam ampliandam, cortinam latiore, mensalia *m* tria, tapetia tria, scannalia *n* totidem, mappas triginta.

**4** Insuper equarum quicquid nobis fuerit, ipsis, quæ Ecclesie repertæ sunt, exceptis, villis *\**, quas ecclesie nostræ adquisivi, Langalon juxta Rhenum, Werebetti, Heingilon, Lidron, Wissem, quam Mosa alluit; domum quoque Sobrini nostri Metensis episcopi et villam Bavingan; insuper quicquid de rebus ecclesie nostræ tenet, trado *o*. Detur etiam usui monachorum tertia pars hujus anni fructuum ad usus nostros elaboratorum.

**5** Jerichonium *p* loco competenti ad nutum abbatis non longe a cenobio constituatur, cui, quicquid predii nobis Tuici est *q*, Jeresfelt præterea in Saxonia usque ad situm *r*, et, quicquid Gevehardus, quondam Bonnensis præpositus, juxta Mosellam scitur habuisse, confero; et, ut hoc bona venia senioris *s* et successoris fieri queat, pro utriusque nostrum remedio Ruothinge, quod Ecclesie rebus opera nostra augmentatum est *t*, ut libetj utatur.

**6** Instar oratorii, quod beato Privato construximus juxta altare S. Martini in Occidente ecclesie, beato Gregorio Magno martyri, qui recens adductus est *u*, fiat, ubi sacratissimum corpus ejus recondatur. Huic fundando centum libræ legentur.

**7** Cuppas *x* aureas fratribus nostris ad S. Petrum, libras viginti, cortinam, mensalia duo, scannalia totidem.

**8** Ad S. Gereonis altare urcei magni, pallia duo, tapete ex majoribus, fratribus navey et libræ duodecim, mensale et scannalia duo *x*.

**9** Ad altare Sti. Severini consummandum quatuor libræ auri, fratribus libræ octo, vasa duo, mensale, scannalia duo.

**10** Sancto Cuniberto *aa* scutulæ duæ, Sanctis Ewaldis duobus pallia tria, fratribus vasa duo, libræ octo, mensale, scannalia duo, tapete unum.

**11** Sancto Andreae *bb* libræ triginta, pallia quatuor, totidem vasa, candelabra duo, fratribus libræ sex.

**12** Beato Eliphio martyri; sancto Martino confessori *cc* tantumdem. Predium præterea Solagon per precariam *dd* nostræ ecclesie acquisitum.

**13** Ad S. Mariæ altare, vasa duo ex melioribus, monasterio et claustrum perficiendo libræ centum. Cortina, scannalia duo, mappæ totidem.

**14** Ad altare S. Cæcilie auri libræ tres, cortina, candelabra duo, vasa duo, tapete unum, scannalia duo, in consummando monasterio libræ quinquaginta. Collegio illius monasterii libræ decem, mensale.

**15** Ad Sanctas Virgines *ee* vasa duo, candelabra duo, pallia duo, cortina, tapete unum, scannalia duo, sanctimonialibus libræ decem, mensale.

**16** Altari sanctorum martyrum Cassii et Florentii auri libræ duæ, baccina *ff*, quæ penes nos sunt, cuppæ *gg* duæ, pallia totidem, fratribus libræ decem.

**17** Sancto Victori *hh* et collegio tantumdem.

**18** Monasterio et claustrum Sosatio fundando libræ centum, altari sex vasa, pallia totidem, tapete unum ex majoribus, scannalia duo, cappa et casula ex nostris. Predium præterea,

*\* transigite  
d e*

*h i  
k*

*l  
m  
n  
o  
p  
q  
r  
s  
t  
u  
v  
x  
y  
z  
aa  
bb  
cc  
dd  
ee  
ff  
gg  
hh*